BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
21 A
4H

PASSIO SANCTORVM MARTYRVM,

Getulij, Amantij, Cerealis, Primitiui, Symphoroſæ, ac ſeptem filiorum,

Notis & digreſſionibus illuſtrata Fuluij Carduli presbyteri è Societate IESV.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

V 11 4



ROMAE,
Apud Franciſcum Zannettum.
M. D. LXXXVIII.

PERMISSV SVPERIORVM.

Roma

SENATVI POPVLOQ. TIBVRTI

Fuluius Cardulus ſalutem & veram felicitatem.

QVOD diu multumq. veſtra pro pietate, Tiburtes, expetiſtis, & flagitaſtis, nunc demum vobis opportunè Deo adiuuãte afferimus, SS. Getulij ſociorũq. vitam, & B. Symphoroſæ ac filiorum paſsionem ex antiquis bibliothecis ſacrarumque ædium & Cœnobiorum archiuis collectam. Neq. vero prius edendam cenſuimus, quàm noui templi ſanctis hiſce Martyribus dedicati fores patuiſſent,

tuiſſent, illatiſq. eò ſacroſanctis reliquijs, veſtra in illos voluntas & pietas conſtitiſſet: qua plane cognita, atque perſpecta, putauimus non oportere munus hoc diutius vobis deberi. Promiſſum exoluimus; pleniores in hiſtoriã notas, & digreſsiones adiungere ſtuduimus, vti & propoſitæ rei dignitati pro virili reſpõderemus, & veſtræ Ciuitati, quam ſanè tum erga ſuos beatiſſimos ciues piam & gratam, tum in noſtrum Ordinem beneuolam, ac liberalem ſenſimus, hoc etiã genere gratificaremur officij. Longior in ijs forſitan, quàm decreueram, & quàm poſtulabat res, fui; ſed illa me ratio apud vos potiſſimum excuſabit, quòd vel Scriptorum ſcilicet, quorum teſtimonijs vtor, plus habent auctoritatis verba ipſa, quàm eorundem à me alijs verbis breuiter comprehenſa ſententia, vel ijs maximè eduntur hæc ſcripta, quibus eiuſ-

modi

modi libri, vnde digreſſiones petuntur, aut nulli, aut certè ad manum non ſunt; atq. interim interrumpere lectionis curſum non libet. Qui legere grauabitur, his præteritis, ad reliqua citra iacturam poterit tranſilire. Vos eo animo munus accepturos confidimus, quo à nobis offerri videtis. Nihil enim aliud nobis propoſitum fuit, niſi vt Deum in Sanctis laudantes ſuis, vos ad Chriſtianam pietatem veſtra iam ſponte currentes incitaremus, atque ad germanam, & auitam religionem imitandam commemoratis immortalibus maiorum laudibus inflammaremus. Omnibus quidem Chriſtianis horum patent exempla Sanctorũ; ſed vobis præcipue ante oculos continenter vt propria, & domeſtica poſita debent eſſe. Omnes item beatiſſimi Cælites venerandi, colendique ſunt vobis; hi tamen maiorem quendam merentur in ea

Ciui-

Ciuitate honorem, in qua nati, in qua educati, in qua denique pro iuſtitia & religione fortiter & glorioſe certantes, profuſo ſanguine vitaque vicerunt, & triumpharunt, atque huius æternæ laudis inſignia, victoriæ monumentũ, triumphi memoriam ſempiternam reliquerũt. Ex quo illud etiam ſequitur, vt Tiburtium nomen propter vrbis nobilitatem, & res præclare geſtas litteris ab eloquentiſſimis ſcriptoribus olim conſignatas alioqui notum ac celebre, hi ſoli ferè clariſſimi ciues vbique terrarum magis ac magis illuſtrent: cum in omnibus Chriſtiani orbis Eccleſiis, quotannis Sanctorum martyrum Symphoroſæ ac filiorum præclara & beata pro Chriſto apud Tiburtinam Vrbem mors oppetita celebretur. Veſtræ nunc ſunt partes, vti primũ veſtrorum intuentes maiorum virtutẽ, & , quoad cum cæleſti præſidio atque

ope

ope licuerit, imitantes, vt facitis, implorato illorum vos patrocinio, & gratia dignos præſtetis; deinde noua æde operosè conſtructa, veſtriſque ſanctis ciuibus, vt poſtulabatis, dicata, diuinum beneficium agnoſcentes, cum caritate & beneuolentia memoriam teneatis viri omnium virtutum laude cumulati, Matthæi Contarelli S.R.E. presb. Cardinalis: cui Deus hanc mentem dedit, vt, quod à vobis optantibus fieri hac tempeſtate non poterat, pro ſua pietate, & tam in veſtram Ciuitatem, quàm in noſtram Societatem, amore, opus illud atque ædificium excitaret. Id importuna hominis morte imperfectum maturè abſoluit non minus beneficæ voluntatis, quàm rei familiaris ex teſtamento heres, Virgilius Creſcentius, Romanæ decus nobilitatis & ornamentum, in quo ſumma grauitas cum probitate ac prudentia ſumma

con-

contendit. Hanc à vobis Eccleſiam pie ac ſanctè frequentari, vehementer gaudemus in Domino, ſperamuſque Tiburtem populum maiora in dies ſuæ pietatis, atque erga ſanctos Martyres honoris & ſtudij præmia percepturum. Hi eũ in via mandatorum Domini ſui pergentem benigni propitijque cum voluptate reſpicient, & iuuabunt. Bene valete in Chriſto, & feliciter agite.

M. D. LXXXVIII. Nonis Iulij.

PASSIO SS. MARTYRVM GETVLII ET SOCIORVM

PER F. LAVRENTIVM SVRIVM ex vetuſtiſſimis, & manuſcriptis codicibus Martyrologijſq. deſcripta, et in tertium volumen relata. x. Iunij.

TEMPORIBVS Hadriani Imp. fuit vir quidam, omnis diuinæ legis peritiſſimus, idemq; Chriſtianiſſimus, Getulius nomine. Degebat autem in Sabinorum regione haud procul ab vrbe Roma; conuocabatq; ad ſe quotidie permultos, tum ex Italia, tum ex Græcia Chriſtianos, ijsq; alimenta præbens, diuinam legem exponebat, eosq; erudiebat. Peruenit autem rei fama ad aures Hadriani Imperatoris, qui miſſo Cereale Vicario iuſſit eum comprehendi. Vbi ad illum venit Cerealis, inuenit eum ſeden-

tem,& more ſolito Chriſtianos inſtituen tem, qui eius doctrina magis ac magis in fide Chriſti cõfirmabantur. Dixit autem ei Cerealis, Audiſti quæ ſint à Principibus edicta apud omnes propoſita? Reſpondit S.Getulius, Itane Principũ iuſſis parere neceſſe eſt? Cerealis dixit, Tu ipſe edicito, æquumne ſit parere. S.Getulius ait, Cui tandem, ò Princeps, obtemperandũ eſt? mortaline homini & mox in putredinem abituro, an vero omnipotentis Dei filio? Cerealis dixit, Habet ergo filiũ Deus veſter? S.Getulius reſpondit, Habet plane, qui quidẽ & fuit, & eſt & erit ſemper. Cerealis dixit, Qua vel doctrina, vel ſigno noſſe licebit filium Dei, Deum eſſe, quemadmodum tu doces? Reſpõdit S.Getulius, Noueris verbum Dei verum Deum ex Deo Patre genitum, & de ſpiritu ſancto conceptum, ex Virgine Maria natum eſſe, eumq; nouiſſimis temporibus dignatũ eſſe venire, vt mortuos ſuſcitaret, cæcos illuminaret, leproſos mundaret, ſuper mare pedibus ingrederetur, vẽtis & tempeſtatibus imperaret. Cerealis dixit, Noſſe velim, quinã iſthuc

factum

factum ſit.Tum S.Getulius vocauit ad ſe
Amantium Tribunũ, fratrem ſuum, qui
metu Hadriani Principis latitabat, nar-
rauitq; ei omnia de Cereale Vicario.Por
ro ipſi Cereali indicauit Amantium; ad
cuius conſpectũ mirifice exhilaratus eſt
Cerealis. Dixit autẽ ei S.Getulius,Abij-
ce iam,Cerealis frater, artes Diabolicas,
& amplectere Chriſti patientiam. Ego,
cum in Tiburtina vrbe haberem vxorẽ,
liberos,& opes,omnibus vale feci,vt poſ-
ſem ad æternam peruenire ſalutem. Ce-
realis reſpondit, Equidem nec vxorem,
nec proles habeo,quas relinquam; Si ve-
rò eſt aliquid æternum, ne quæſo, illud
me celetis. S. Getulius dixit, æternum
hoc eſt, vt manufactis idolis repudiatis,
in Chriſtum Dei filium credas. Cerealis
ait; At quo tandem ordine hæc fides ſu-
ſcipienda eſt, vt ne quid fuſcatum in me
reſideat? Dixit ei Amantius Tribunus,
amicus eius; Baptiſmũ percipies in Chri
ſti confeſſione, & ſic vitam habebis ſem-
piternam. Si vero reliqueris omnia,quæ
in hoc mundo appetis, centuplum acci-
pies,& vitam æternam poſſidebis.Cerea-

liſait,Ecquid obſtat,quo minus pro Chriſto filio Dei ſanguinem meum fundam? ſed iã, quæſo vos,moras nectere ne velitis. Tum S. Getulius ad pœnitentiam eũ adhortabatur, ſimulq; ei triduanum indixere ieiunium,donec diuinitus edocerẽtur,quid faciendũ eſſet. Cumq; tota nocte in vigilijs & precibus durarent,audierunt vocem angelicam ipſos admonentem, vt Xyſtum vrbis Romæ Epiſcopum ad ſe vocarent, & ab illo baptiſma perciperent.

Venerunt igitur Romam, & accerſito B.Xyſto Epiſcopo,in Cryptam quandam eius,quã diximus,regionis ingreſſi ſunt; vbi B.Xyſtus more Chriſtiano eum catechiſmo imbuit,ac deinde baptizauit.Eadem autem hora vidit Cerealis deſcendentem ſuper ſe Spiritum ſanctũ,& mox ingẽti voce clamauit, Ecce, video lumen quoddam, ſolis ſplẽdore illuſtrius, in me delabi. Porro B.Xyſtus pro ſingulis obtulit ſancta libamina,& participes eos fecit ſacroſancti corporis & ſanguinis Chriſti: & cum eos in fide confirmaſſet, gratias agens, diſceſſit ab eis. Eodem tem-

pore

pore officiales Cerealem quæſierunt. Venit autem Vincentius quidam eò, vbi erant ſancti, aurum publica exactione collectum aſportaturus. Vt autem vidit eum Cerealis, dixit ei, Nos temporarias res iam abiecimus, vt fruamur æternis. Temporalia enim vnà cum illis, qui amore ea proſequuntur, in nihilum redigentur. Tum Vincentius magna voce exclamauit; O principes orbis, & reipublicæ moderatores, ſeductus eſt Cerealis digni tate Vicarius, relictisq́; Dijs phantaſmata ſectatur; multaq́; ira incenſus celeriter cucurrit ad Hadrianum Principem, eiq́; quid comperiſſet, expoſuit, nempe Cerealẽ ſe Chriſtianum confiteri. Itaque Hadrianus miſit Licinium conſularem, qui ipſi Cerealem ſiſteret. Licinius veniens ad vrbem Sabinorũ, tenuit Cerealem, & cum illo Getulium, Amantium, & Primitiuum: moxq́; ſcripto petijt ab Hadriano, quid de illis fieri iuberet. Reſcripſit autem Hadrianus, vt aut immolarẽt dijs, aut ignibus cremarentur. Eodem ergo die, quo lectæ ſunt litteræ Imperatoris, iuſſit Licinius in ciuitate Tiburtina

tribunal ſibi præparari, ſanctosque vinctos exhiberi. Cumq́; veniſſent, ita dixit, Adeone, Cerealis, vitam deſperaſti tuam, vt præcepta Principũ, qui toti imperant orbi, contemnenda putes? Cerealis reſpondit, Et theſauros publicos declinatione perfecta tradidi in publicum, & Chriſto IESV me ſeruiturum promitto, vt vitam obtineam ſempiternã. Licinius dixit; Sacrifica dijs Ioui & Marti: alioqui extorquebo à te animam tuam. Reſpondit S. Getulius; Ego non perdam animam meam, immo verò potius lucrabor eam. Tunc ira inflammatus Licinius, iuſſit eos exſpoliatos cædi, dicens, Præcepta Principũ contemnere nolite, ſed magnis dominis obtemperate. Cum autem cæderentur, Beatus Getulius magnificans Deum, alta voce dixit: Gratias ago Deo Patri omnipotenti, & Domino Ieſu Chriſto, eiq́; meipſum ſacrificium mundum offero. Dixit ei Licinius, Quod eſt mundum ſacrificiũ? B. Getulius reſpondit: Spiritum contribulatum, & cor contritum & humiliatum Deus nõ deſpicit. Licinius dixit ad miniſtros: Abducite iſtos

ſtos in carcerem: vbi ſane ad dies viginti ſeptem permanſere. Porro Licinius Romam proficiſcens, res geſtas narrauit Hadriano Imperatori. At ille furore percitus, miſit milites, qui eos flammis exurerent. Ducti ſunt ergo ſancti Martyres ad tredecim milliaria ab vrbe Roma, & illic ligatis manibus & pedibus ad flumen Tiberim in ignem coniecti ſunt. Cum autem B. Getulium flammæ non contingerent, & ille magis in Domino confortatus, ſolutis vinculis Chriſtum Dei filium glorificaret, milites caput ei fuſtibus confregerunt: & ſic, inuocans Dominum, emiſit ſpiritum. Cuius ſacrum corpus colligens Symphoroſa vxor eius, honorifice ſepeliuit in arenario prædij ſui. Vbi (vt codex Vaticanus teſtatur) frequenter cũ filijs ſuis vigilias & orationes celebrabat cum B. Exuperantio presbytero. Ado etiam in ſuo Martyrologio iiij. Idus Iunij; Conſummati ſunt, inquit, Beati Martyres in fundo Capreolis via Salaria, ab vrbe Roma plus minus milliario tertiodecimo ſupra fluuium Tiberim in parte Sabinenſium. Quorum corpora collegit B.

Symphoroſa, vxor B. Getulij martyris, Quæ non longe poſt eundem ipſum martyrem cum ſeptem ſuis filijs fuit martyrio confecta, videlicet XXVII. die menſis Iunij, & ſepulta eſt in prædio ſuo, loco, & oppido ſupra nominato.

NOTÆ
AD HISTORIAM PASSIONIS SS. GETVLII,
SOCIORVMQVE EIVS Cerealis, Amantij, & Primitiui.

TEMPORIBVS Hadriani Imp.] *Hæc perſecutio, quam plerique omnes poſt Beatorum Stephani Protomart. & Iacobi Apoſtoli necem, tertiam numerant, à Traiano Cæſare mota, per Hadrianum, qui ei ſucceſſit, continuata aliquandiu eſt. Et quidem imperante Traiano adeo crudeliter in Chriſtianos eſt actum, vt in ſacras etiam martyrum reliquias Ethnica ſæuiret impietas. Is ſane in perſequendis Chriſtianis (vt Oroſius lib. 7. cap. 12. ſcribit) errore deceptus, tertius à Nerone cum paſſim repertos cogi ad ſacrificandum Idolis, ac detrectantes interfici præcepiſſet, plurimique interficerentur, Plinij Secundi, qui inter ceteros iudices perſecutor datus fuerat, relatu admonitus, eos homines præter confeſſionem Chriſti, honeſtaque conuenticula, nihil*

contrarium Romanis legibus facere, fiducia ſane innocentis confeſſionis nemini mortem grauem ac formidoloſam videri, reſcriptis illico lenioribus temperauit edictum; Chriſtianos videlicet conquirendos quidem non eſſe, delatos autem, ſiue, vti Tertullianus in Apologetico loquitur, oblatos puniri debere, libellos item ſine auctore nullo crimine recipi non oportere, in quo tamen reſcripti genere haud quaquam ſemper Traiano præſides paruerunt.

Hadrianus vetuſtiore origine à Picentibus, poſteriore ab Hiſpanienſibus oriundus (ſiquidem Hadriæ, quod oppidum agri Piceni etiam mari Hadriatico nomen dedit, ortos maiores ſuos apud Italicam Hiſpaniæ vrbem, Scipionum temporibus reſediſſe, in libris vitæ ſuæ Hadrianus ipſe commemorat) Aelio Hadriano cognomento Afro, Traiani principis conſobrino, matre Domitia Paulina Gadibus orta, natus Romæ IX. *kal. Febr. Imp. Cæſ. Veſpaſiano Auguſto* VII. *& Tito Cæſ.* V. *Coſſ. anno vrbis* DCCCXXIIX. *Chriſti* LXXVII. *ſiue, vt quibuſdam placet, adoptatus à Traiano, cum legatus Syriæ belli Parthici tempore præpoſitus eſſet, ſiue, vt alij malunt, Plotinæ Auguſtæ factione ac ſtudio ad imperij culmen euectus, imperare cœpit Antiochiæ* III. *Idus Auguſti, die obitus Traiani, anno à Virginis partu* CXIIX. *quo item die cum principatu omnes etiam imperij titulos & iura ſuſcepit. Imperauit annis* XXI. *menſibus* X. *diebus* XXIX. *Obijt Baijs in Campania* VI. *Idus Iul. Anno ſalutis* CXXXIX. *Aetatis ſuæ* LXIII. *miſerabili morbo conſumptus, & omnium ferè membro-*

rum

rum diuturno cruciatu confectus vſque eo, vt doloris impatiens, cuperet domeſticorũ manu vitam finire; ac, ne ſibi manus afferret, cariſſimorum cuſtodia ſeruaretur. Auctores Dion, Spartianus, Eutropius, Sex. Aur. Victor, & alij. Hic imperator ingenio excelſo ac vario, non latinis modo, ſed græcis etiam litteris adeo eruditus, vt à pleriſque Græculus diceretur; memoria incredibili; idem mathematicus, architectus, geometra, muſicus, ſtatuarius, pictor; multarum denique artium non ignarus, doctos viros in honore habuit, & diuites fecit. Algoris, æſtus, laboriſque patientiſſimus, peregrinationis ita ſtudioſus, vt prouincias prope omnes pedibus peragrauerit: belli æque, ac pacis ſtudijs clarus, diſciplinæ militaris ſcientiſſimus, in qua multa correxit, quæ inſequentes principes probauerunt. denique (vt Sex. Aur. Victoris vtar teſtimonio) Hadrianus varius, multiplex, multiformis, ad vitia atque virtutes quaſi arbiter genitus, impetum mentis quodam artificio tegens, ingenium inuidum, triſte, laſciuum, et ad oſtentationem ſui inſolens callide tegebat; continentiam, & facilitatem, clementiamque ſimulans, contraque diſſimulans ardorem gloriæ, quo flagrabat; acerrimus ad laceſſendum pariter, & reſpondendum ſerijs, ioco, maledictis, referre carmen carmini, dictum dicto, prorſus vt meditatum crederes aduerſus omnia; & cetera. Ad hæc, Traiani inuidens gloriæ ex Meſopotamia, Aſſyria, Armenia, quas ille prouincias fecerat, reuocauit exercitus. Euſeb. in chron. Hoc ergo à Chriſti religione auerſo, & veræ pietati infeſto, in-

ſtitu-

ſtitutamque à Traiano Chriſtiani nominis vexationem proſequente, multi pro fide certantes palmam tulere martyrij. Nominantur in vetuſtis ſacrorum annalium monumentis Ariadna, Philetus cum ſocijs, item Brixiæ Iouita, Fauſtinus, Afra; tum Heſperus cum Zoa coniuge, ac liberis Cyriaco & Theodulo in Græcia paſſus, Calocerus Albingauni, Acacius Alexandriæ; in Armenia decem millia martyrum crucifixorum: Cæſareæ in Cappadocia Eupſychius: Romæ Hermes vir illuſtris, & Theodora eius ſoror, Seraphia virgo Antiochena, Sabina Romana, Valentini clariſſimi viri vxor, Seraphiæque in Chriſtiana fide diſcipula, Xyſtus primus Pont. Max. Beryllus, & Liberalis Cannarum Epiſcopus: in Sabinis hi ipſi, de quibus ſcribimus, Getulius ſeu Zoticus, Cerealis, Amantius, Primitiuus: Tiburc Symphoroſa cum ſeptem filijs: Tuderti Terentianus Epiſcopus: Alibi Thamuel cum ſocijs: poſtremo (vt alios omittamus, quorum nomina Deus nouit, pro cuius gloria & honore mortem fortiter & alacriter obierunt) in vrbe Aſtenſi Secundus, à Calocero Chriſtianæ fidei rudimentis imbutus, & à Iouita baptizatus. Hic martyrio affectus traditur Anno ſalutis CXXXIIII. *Augurio & Sergiano Coſſ. quo anno ſanctus Quadratus Apoſtolorum diſcipulus, & Ariſtides philoſophus Athenienſis, vir fide & ſapientia clarus libros apologeticos pro Chriſtiana Religione conſcriptos, cum quidam improbi ac perditi homines Chriſti fideles vrgere ac premere conarentur, Hadriano dederunt; quibus Imperator commotus, & litteris*

etiam

etiam perſuaſus nobiliſſimi viri Sereni Granij, aliàs Serenij Graniani, Legati, qui iniquiſſimum eſſe diceret clamoribus vulgi innocentium hominum ſanguinem concedi, & ſine vllo crimine, nominis tantum & ſectæ reos fieri, perſecutionem poſtero anno, qui CXXXV. *fuit, inhibuiſſe narratur; & Minutio Fundano Aſiæ Proconſuli ſcripſiſſe, ſine obiectu criminum Chriſtianos non condemnandos. Euſeb. lib.* IIII. *Eccl. hiſt. cap.* IX. *& Nicephorus lib.* III. *cap.* XXVII. *eius epiſtolæ poſuerunt exemplum, à Iuſtino Philoſopho & martyre memoriæ proditum, qui in priori apologia, quam pro fidei noſtræ defenſione compoſitam Antonino Pio (qui ab Hadriano Cæſare adoptatus, poſt eum Romanum adminiſtrauit imperium) tradidit, talis reſcripti auctoritate vſurus, hæc præfatur. Poſſumus hoc à vobis ex reſcripto maximi & illuſtriſſimi Cæſaris Hadriani, patris veſtri, qui ita, vt per ſupplicem libellum rogauimus, iudicia exerceri iuſſit, petere; idque non tam quòd ab Hadriano mandatum ſit, quàm quòd iuſtam eſſe petitionem noſtram ſciamus. Subiecimus autem Epiſtolæ Hadriani exemplum, vt hac quoque parte veritate nos niti cognoſcatis.*

Hadrianus Cæſar Minutio Fundano.

Litteras à Serenio Graniano, viro clariſſimo, cui tu in prouincia ſucceſſiſti, accepimus. Inquirenda nobis res prorſus eſſe videtur, ne homines innocentes opprimantur, neue calumniatoribus occaſio graſ-

graſſandi præbeatur. Quòd ſi prouinciales tui, perſecutiones aduerſus Chriſtianos ſuas proceſſu legitimo pro tribunali probare poſſunt, vnam eam ſequantur viam, neque ſolis petitionibus atque vociferationibus vtantur. In primis enim conuenit, ſi qui ad accuſandum accedere velint, te cauſam legitime cognoſcere. Itaque ſi quis eos detulerit, atque probauerit contra leges quidquam commiſiſſe, tu pro delicti qualitate ita ſententiam aduerſus eos feres. Verum Hercle ſi quis calumniæ cauſa crimen cuiquam intendiſſe compertus fuerit, pro maleficij grauitate, in eũ modis omnibus animaduertas. Huiuſmodi ſententiam habet exemplum epiſtolæ Hadriani. Euſeb. Eccl. hiſt. lib. IIII. *cap.* III. VIII. *&* IX. *& in chron. S. Hieron. de viris Illuſtr. Oroſius lib.* VII. *cap.* XIII. *Beda, Vſuardus, Ado Vien. in chron. Nicephorus lib.* III. *cap.* XXI. XXVI. XXVII. *Trithemius. Idem Imperator* XVIII. *anno imperij ſui Iudæorum gentem, ſcelerum ſuorum furijs exagitatam tumultuantem ac rebellantem per Iulium Seuerum, aliosque fortiſſimos duces in Iudæam miſſos internecione deleuit, cæſis vno die quinquies centenis & octoginta millibus, arces quinquaginta euertit, vicos nongentos octoginta quinque diripuit, & ferro igníque vaſtauit, antique Hieroſolymorum vrbis reliquias ſolo æquauit, vt, iuxta Saluatoris oraculum, ne lapis quidem ſuper lapidem relinqueretur; pomœrijs contractis nouam reſtituit, & de ſuo nomine Aeliam nuncupauit, lege lata; ne cui Iudæo in eam vrbẽ aditus pateret (quod futurum olim diuini vates prædixerant) Chriſtianis*

tantum

*tantum ac peregrinis ciuitate permiſſa,in ipſo autem templi adyto ſtatuam ipſe ſuam equeſtrem collocauit.Euſeb.lib.*IIII.*hiſt Eccl.cap.*VI.*& in Chron. Oroſius lib.*VII.*cap.*XIII. *Dion Caſſius in vita Hadriani, Niceph.lib.* III. *cap.* XXIIII. *Cogitauit etiam (teſte Lampridio in vita Alexandri Seueri) templum Chriſto ædificare,eumque in numerum Deorum referre. Lampridij verba ſunt hæc; Alexander ſeptimo die Capitolium, cum in vrbe eſſet, aſcendit; templa frequentauit: Chriſto templum facere voluit, eumque inter Deos recipere. Quod & Hadrianus cogitaſſe fertur, qui templa in omnibus ciuitatibus ſine ſimulacris iuſſerat fieri; quæ hodie idcirco,quia non habent numina, dicuntur Hadriani, quæ ille ad hoc paraſſe dicebatur,ſed prohibitus eſt ab his, qui conſulentes ſacra,repererant,omnes Chriſtianos futuros, ſi id optato eueniſſet, & templa reliqua deſerenda.*

Vir quidam omnis diuinæ legis peritiſſimus.] *Vſuardus clariſſimum,et doctiſſimum vocat. M.item R.Equilinus autem doctiſſimum in fide Chriſtiana.*

Idemque Chriſtianiſſimus.] *Sic etiam Beda in Martyrologio.*

Getulius nomine.] *Sic legitur in Martyrolog. Bedæ, Vſuardi, Adonis, & in exemplaribus Vaticano & Lateranenſi. In Codice autem antiquiſſimo Caſinenſi ſcriptum eſt, Zoticus:in altero item Vaticano Longobardicis caracteribus exarato,qui hanc hiſtoriam à S. R. E.notarijs, vt creditur,ſcriptam continet,ita ſemper legitur,Zoticus,qui & Getulius; quã quidem lectionem confirmat plumbea lamina in tem*

plo

plo ſancti Michaelis Archangeli ad forum piſcariũ, Anno humanæ ſalutis MDLXII.*Pio IV.Pont.Max. cum ſacris reliquijs SS.Symphoroſæ & filiorum reperta, atque hoc epitaphio inſcripta,*

Hic requieſcunt corpora ſanctorum Mar.Symphoroſæ, & viri ſui Zotici, & filiorum eius à Stephano Papa translata.

Præterea Tibure inſcriptiones in templo S. Sabbæ, & S. Angeli repertæ (de quibus ſuo loco dicetur) & à tergo aræ maximæ veteris Eccleſiæ S.Petri Apoſtoli à B. Simplicio ſummo Pont.conſtructæ hæc extat inſcriptio,

Hic requieſcit Zoticus martyr.

Et in ſacrario caput eiuſdem lignea capſella incluſum per multa ſecula ſeruatum eſt, donec anno inſtaurati orbis MDLXXXVII.*decimo ſexto kal.Auguſti ſolemni pompa, & ingenti populi frequentia & religione translatum eſt in nouum templum Societatis* IESV, *quod in ea vrbe pia liberalitate Matthæi Contarelli Cardinalis S.Stephani nuper ædificatum, S. Symphoroſæ nomine placuit appellari, quam quidem rem alibi plenius & vberius deſcribemus. Tiburtini autem alium Zoticum, quàm Getulium, non agnoſcunt: cuius venerandum corpus cum & Romæ in Diaconia S. Archangeli Michaelis, & Tibure in æde S. Petri Apoſtoli requieſcere perhibetur, ſic accipiendum eſt, vti Apoſtolorum Principum corpora & in Baſilica Vaticana S. Petri, & in Baſi-*

lica

lica S. Pauli via Oſtienſi condita eſſe dicuntur. Neque enim omnia oſſa vtrobique ineſſe, ſed mediam partem intelligimus. Itaque veriſimile eſt, S. Getulij ſeu Zotici corpus, cum à Stephano Papa (de quo ſuo loco dicemus) translatum eſt, partim Romam partim Tibur fuiſſe deportatum. Hoc modo eximitur ſcrupulus pleriſque iniectus ex eius lectione libelli, qui de vrbis Eccleſiis inſcriptus circũfertur, vbi ſæpe eorundem ſanctorum corpora duobus in locis recondita memorantur. Melius ſcriberetur, Reliquiæ, quo nomine non ſemper integra corpora, ſiue omnia oſſa vnius corporis, ſed ſæpenumero partem corporis, ſiue oſſium ſignificare voluerunt, ſacrorum annalium & rerum eccleſiaſticarum Scriptores: quemadmodũ in noſtris ad Paſſionẽ SS. Martt. Abũdij & Abundantij Notis docuimus. Hinc profectò ſequitur, vt, dum in nouo Martyrolog. Rom. prid. Id. Ianuar. legis: Tibure S. Zotici martyris, eundem hũc Zoticũ exiſtimare debeas, qui et Getulius dictus eſt, & IIII. Id. Iunias collocatur. Licet enim plures fuerint SS. Zotici martyres probatis in Martyrologijs nominati, vnus in Africa cum Rogato, Modeſto, Caſtulo, & militibus XL. alter Alexandriæ cum Tharſicio, Cyriaco, alijſque: tertius Nicomediæ cum Datio, & Caio (Beda Zoſium & Daſium vocat) & duodecim militibus martyrio coronatus: quartus Epiſcopus Comanæ in Armenia, Seuero Imp. fidei cauſa necatus: quintus in Deciana perſecutione cum Irenæo, Hyacintho, & Amantio, Romæ pro Chriſto peremptus: ſextus in Græcia Diocl. et Maximiano

Impp.cum Agathonico, Theoprepio, Acindyno, & Seueriano: ſeptimus iiſdem Impp.in eadem prouincia cum Victore, Zenone, Cæſario, Chriſtophoro, Theona, et Antonino, Chriſtianæ religionis cauſa interfectus: nullus tamen eorum videtur ad Tiburtinam ciuitatem magis pertinere, quàm hic, qui alio nomine Getulius appellatus, Tibure & vxorem, & liberos, & ampliſſimas fortunas ſe reliquiſſe in hac ipſa profitetur hiſtoria. Accedit conſtans opinio & fama, vetuſque traditio Tiburtinorum, qui hunc Zoticum, cuius ſacras habent & venerantur reliquias, Getulium B. Symphoroſæ Tiburtinæ matronæ coniugem eſſe pro certo credunt, ac prædicant.

In Sabinorum regione.] *Agrum Sabinum inter Narem, & Anienem flumina, & Aequicolos contineri Cato & Sempronius tradiderunt. Strabo autem lib.*v.*anguſtum quidem Sabinis agrũ, ſed in longitudinẽ à Tiberi amne, oppidoq́. Nomento per mille ſtadia, hoc eſt, centum viginti quinque millia paſſuum ad Veſtinos vſque porrectum, aſſignat. quem agrum* xxxv.*Mill.paſſ.ab Hadriatico mari,* xxx.*à Tyrrheno abfuiße, in longitudinem vero paulo minus* cxxv. *millibus paſſuum patuiſſe ex ſententia Catonis, Dionyſius primo libro teſtatur. Florus lib.* v. *cap.*xv.*de bello Sabino, hunc vſque ad Hadriaticum fere mare pertinuiſſe oſtendit, cũ ſcribit, Curiũ Dentatũ Conſulẽ omnẽ eum tractum, quà Nar ambit, fonteſque Velini, Hadriatico tenus mari, igne ferroque vaſtaſſe. Strabo rurſus eodem libro ante eum locum, quem modo adſcripſimus, Sabinia inter Latinos Vmbrosq́.*

iacet;

iacet; extenditur & ipſa ad Samnitum montes, propinquior Apennino ad Veſtinos, Pelignos, & Marſos. Dionyſius lib. v. *perhibet Anienem fluuium ad Tibur de alta rupe præcipitatum, per campos deinde labi, & Sabinos à Romanis diſterminare, amœnum aſpectu, & potu non ingratum, donec in Tiberim influat. Plin. lib.* III. *cap.* V. *Tiberim per* XL. *millia paſſuum non procul Tiferno Peruſiaque, & Ocriculo Etruriam ab Vmbris ac Sabinis, mox circa tredecim millia paſſuum vrbis Veientem agrum à Cruſtumino, dein Fidenatem, Latinumque à Vaticano dirimere ſcribit. Sabini, inquit Strabo, gens antiquiſſima eſt, indigenæ & Aborigines. Rerum ſcriptor Fabius auctor eſt, Romanos tum primùm diuitiarum ſenſum accepiſſe, cum huius potiti ſunt gentis. Per ipſos via Salaria non magnæ longitudinis ſtrata eſt (in quam & Nomentana incidit apud Eretum Sabinorum vicum ſupra Tiberim iacentem) ex eadem Collina porta inchoans. Noſtra memoria Sabiniam appellant quidquid inter lacum Velinum, vrbem Reate, Tiberim, Narem, & Anienem flumina continetur.*

Haud procul ab vrbe Roma.] *Milliario* XIII. *vt ex ipſa narratione perſpicitur. Aliqua exemplaria locum adijciunt, nominãtque ſæpius ciuitatem Gauis: quæ quidem vox, cum apud nullum idoneum reperiatur auctorem, aut corrupta creditur, aut noua, & illis temporibus cum ipſo ſimul oppidulo nata, ſeu vico, quem huiuſce ſcriptor hiſtoriæ ciuitatem atque vrbem appellat: Ea vero ubi fuerit, ignoratur. neque id mirum videri debet, cum Strabo, Diony-*

ſius, Pliniusque teſtentur, iam tum ipſorum ætate in agro Sabino complura oppida ita eſſe deſiiſſe, vt neque veſtigia, neque nominũ memoria, propter migrationes, apud regionis incolas ſupereſſet: alia ruinis collapſa iacuiſſe quædã cũ olim florẽtiſſima fuiſſent, vt Fidena, Collatia, Antẽna, Cenina, a Fabio Pictore, Virgilio, Liuio, Dionyſio nominata, quæ intra quintum & ſextũ lapidẽ ab vrbe Roma diſtabant, Strabo refert ſua memoria in paruos vicos redacta. Eadẽ poſtea procedente tẽpore ſic prorſus interiere, vt quibus in locis extiterint, haud quaquã appareat.

Tum ex Græcia] *Ergo Græcis litteris & diſciplinis inſtructus.*

Alimenta præbens] *Erat enim tum locuples ac diues, vt ipſe paulo poſt docebit, tum beneficus & liberalis in proximos.*

Diuinam legem exponebat] *vt qui eſſet in Chriſtiana fide doctiſſimus; quod ſupra ſignificatum eſt, egregiuſque Theologus, quod infra patebit.*

Cereale Vicario] *cuiuſdam Tutij Cerealis cõſularis mentionẽ Plinius facit lib.* II. *epiſt.* XI. *Iulij Cerealis Martialis li.* XI. *epig.* LIII. *Martyrologia duos præterea Cereales martyres habent, alterũ Alexandriæ cũ Pupulo, Caio, & Serapione occiſum pridie Kal. Martias, alterũ militem.* X. *Kal. Octob. ſub Decio Cæſare, capite cũ Salluſtia vxore damnatũ. Vicarius autẽ dicitur, qui vicẽ alicuius gerit. Cæſarũ temporibus Romano florente imperio, Duces, Tribuni, atque adeo Præfecti prætorio ſuos habebant Vicarios, per quos Prouincias, aut exercitũ regebant. Sic legimus*

Vita-

Vicarios vrbis Romæ, Italiæ, Hiſpaniarũ, Britãniarũ, Africę, ſeptem prouinciarũ, etc. Aurelianus Imperator, vt Vopiſcus refert, ante imperium ſub Valeriano Auguſto, qui a Sapore Perſarum Rege acie victus apud eos miſerabili captiuitate vitam finiuit, multos habuit ducatus, plurimos tribunatus, Vicarias Ducum, & Tribunorum, diuerſis temporibus prope quadraginta. huius item epiſtola militaris eſt ad Vicarium ſuũ data huiuſmodi: Si vis tribunus eſſe, immo ſi vis viuere, manus militũ cõtine, &c. Vlpius quoq; Crinitus, quem Valerianus Cæſaris loco habere inſtituerat, eidem Imperatori gratias egit, quòd ſibi Vicariũ Aurelianũ dediſſet. hæc Vopiſcus. Cerealẽ igitur aut pręfecti prætorio, aut pręfecti Vrbi, aut vrbis Romæ Vicariũ fuiße exiſtimare debemus. Fuerat autẽ (inquit Ado) Cerealis in conſpectu Hadriani cum fratre B. Getulij Amantio, acceptus.

Chriſtianos inſtituentem] *Idque laicus faciebat, & maritus. tales fuiſſe accepimus Tertullianũ, Hilarium, Boetium; qui quamuis vxorem haberent, tamen nũc voce, nunc ſcriptis munus chriſtiani Doctoris vtiliter & glorioſe obibant. Animaduertant hoc clerici eccleſiiſque præfecti, neque ſuo ordine graduque alienum arbitrentur ea opportune perdiſcere, quæ, vbi res tempuſque poſtularit, concreditos ſibi poſſint ad ſalutem populos edocere.*

Cui tandem, ò princeps, obtemperandum eſt?] *Sic Petrus & Ioan. in Act. Apoſt. cap.* IIII. *loquuntur: Si iuſtum eſt in conſpectu Dei vos potius audire, quàm Deum, iudicate. Et cap.* V. *Obedire oportet*

Deo magis, quàm hominibus.

Amantium (alias, Adamantium) Tribunum.] *Tribunum militum intellige, qui primùm mille præfuit militibus, deinde, vbi legio in decem cohortes diuiſa fuit, vnam regere cohortem cœpit. Cum enim initio conditæ Vrbis exercitus Populi Romani ex tribus duntaxat peditum millibus conſtaret, tres tantùm Tribuni militum ſufficiebant: pòſt auctis Romani imperij opibus, Tribuni ſex primùm, poſtea* XVI. *in quatuor legiones populi ſuffragijs creati. Hi vero ſinguli mille viris præerant, tum, cum Romanus exercitus quatuor legionibus, legio autem quatuor millibus peditum continebatur. Poſt, cum legiones ipſæ ad quinque millia & amplius militum augeri cœpiſſent, viginti quatuor Tribuni à populo creari cœpti, ſexque per ſingulas legiones diſtributi. C. Marius (vt tradit Sex. Pompeius) ſex millium & ducentorum hominum primus legionem conſcripſit. Vt autem qui ſingulis legionibus præerant, Legati legionis, ſic qui cohortibus, Tribuni vel Præfecti vocabantur. hæc ex Liuio, Polyb. Vegetio, & Gell.*

Omnibus valefeci.] *Hoc eſt, omnia valere iuſſi, omnibus vale dixi, ſiue, nuntium remiſi; Euangelicum ſecutus cõſilium: Omnis, qui reliquerit domũ, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.*

Si vero eſt aliquid æternum.] *Vt Ethnicus loquitur, veræque philoſophiæ ignarus, & qui fortè à ſuis audiſſet, nihil eſſe æternum, ſed interitui obno-*

xia

xia omnia, animã quoque ipſam eſſe mortalẽ. hoc autẽ Cerealis dictũ ad illa poſtrema Getulij verba referendum eſt, Vt poſſem ad æternã peruenire ſalutem.

Quo tandem ordine hæc fides ſuſcipienda eſt?] *Quòd tam cito Cerealis animus incipiat ad credendum inflecti, nemini mirum videri debet. Primùm enim auctoritatem exemplumque Getulij, viri ſanctitate, doctrina, genere, opibusque præſtantis; deinde Amantij amicitiam atque præſentiam, maximi apud eum ponderis eſſe oportuit; iam, Paulo teste, viuum eſſe ſermonem Dei, & efficacem, et omni gladio ancipiti penetrabiliorem quis neſcit? Prima B. Petri Apoſtoli concio, non oratorijs ornamentis exculta, ſed Spiritus ſancti vi atque efficacitate inſtructa circiter tria millia hominum ad Ieſum Chriſtum repente traduxit.*

Ne quid fuſcatum.] *Fuſcum, ſordidum, deturpatum vitio naturæ corruptæ, prauæque conſuetudinis, ſed omnia ad optatum candorem nitoremque reuocentur.*

Si vero reliqueris.] *Cum baptiſmum ad ſalutem neceſſarium eſſe docuiſſet, quod ſine fide Deo placere non poſſumus, deinceps, quod conſilij & perfectionis, non neceſſitatis eſt, indicat, vt omnia relinquat, præmio ex Chriſti Euangelio doctrinaque propoſito.*

Sanguinem meum fundam.] *Diuinæ magna vis gratiæ, qua Cerealis perfuſus non modo ad ſacrum ſuſcipiendum lauacrum, ſed ad martyrium etiã ſubeundum animatus & paratus iam eſt.*

Ad pœnitentiam.] *Quæ in adultis neceſſario an-*

antecedit, vt baptiſma digne ſuſcipiatur. Cum enim hoc ſacramentum ideo ſit expetendum, vt Chriſtum induamus, & cum eo coniugamur, erit profectò hac ſacra ablutione indignus, qui in vitijs & peccatis permanere conſtituit, tantum abeſt, vt eum admiſſorum ſcelerum, & male actæ vitæ pœniteat. Quapropter Apoſtolorum princeps magnæ illi hominũ multitudini, qui, vt in Apoſtolicis actibus ſcriptum legimus, compuncti corde ab eo, ceteriſque Apoſtolis quid ſibi faciendum eſſet, quæſierant, ita reſpondit: Pænitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum; & alio loco, Pænitemini, inquit, & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra. Item B. Paulus ad Romanos ſcribens, euidenter edicit, ei, qui ad baptiſmum accedit, omnino moriendum eſſe peccatis; quare nos monet, ne exhibeamus membra noſtra arma iniquitatis peccato, ſed exhibeamus nos Deo tamquam ex mortuis uiuentes. Quocirca & aquam adituri (vt Tertullianus in libro de corona militis tradit) ibidem, ſed & aliquanto prius in eccleſia, ſub Antiſtitis manu conteſtamur, nos renunciare Diabolo, & pompæ, & Angelis eius: & olim Competentes appellabantur, qui libero arbitrio vtentes, pœnitentiam ab Eccleſia accipiebant, ut digni eſſent ad Catechiſmum, deinde ad baptiſmum accedere. Competens (ait Iſidorus) vocatur, qui poſt inſtructionem fidei competit gratiam Chriſti, inde & à petendo competens vocatur. De ijs autem III. *de Conſecrat. Diſtinct.* IIII. *Cano.* LV. *ex Concilio Agathenſi: Symbolum etiam placuit ab omni-*

omnibus Eccleſiis vna die, id eſt, ante VIII. *dies Dominicæ Reſurrectionis publice in Eccleſia cõpetentibus prædicari. &* I. *Diſt.* XXXIIII. *Palea ex dictis Auguſtini: Audite cariſſimi membra Chriſti, & matris catholicæ Eccleſiæ filij. Quod dico competentibus, audiant fideles; quod dico fidelibus, audiant competentes; quod dico fidelibus, & competentibus, & pœnitentibus, audiant & catechumeni, audiant omnes & timeant, & nemo contemnat. Sic ſit mihi in conſolatione ueſter auditus, ne uobis ſit in teſtimonium dolor meus. Competentibus dico, fornicari uobis non licet. Eſt eiuſdem B. Augiſtini de expoſitione ſymboli ad competentes ſermo* CXXXI. *& de utilitate ac neceſſitate pænitentiæ homilia* L. *ubi tres actiones pænitentiæ ſtatuit, quas mecum, inquit, ueſtra eruditio recognoſcit. Sunt enim uſitatæ in Eccleſia, & diligenter attendentibus notæ: Vna eſt, quæ nouum hominem parturit, donec per baptiſmum ſalutaris omnium præteritorum fiat ablutio peccatorum; ut, tanquam puero nato, dolores tranſeant, quibus uiſcera urgebantur ad partum, & triſtitiam lætitia conſequatur. Omnis enim qui iam arbiter ſuæ uoluntatis conſtitutus eſt, cum accedit ad ſacramenta fidelium, niſi eum pæniteat uitæ ueteris, nouam non poteſt inchoare. Ab hac pænitentia, cum baptizantur, ſoli paruuli ſunt immunes. Nondum enim uti poſſunt libero arbitrio, quibus tamen ad conſecrationem remiſſionemque originalis peccati prodeſt eorum fides, à quibus offeruntur, ut quaſcunq; maculas delictorũ per alios*

ex quibus nati ſunt, contraxerunt, aliorum etiam interrogatione ac reſponſione purgentur. Ceterorum hominum nullus tranſit ad Chriſtum, vt incipiat eſſe quod non erat, niſi eum pœniteat fuiſſe quod erat.

Altera vero pœnitentia eſt, cuius actio per totam iſtam vitam, qua in carne mortali degimus, perpetua ſupplicationis humilitate ſubeunda eſt, quia vitam æternam incorruptibilem, immortalemq. nullus deſiderat, niſi eum vitæ huius temporalis, corruptibilis, mortaliſque pœniteat. Tertia actio eſt pœnitentiæ, quæ pro illis peccatis ſubeunda eſt, quæ legis decalogus continet: & de quibus Apoſtolus ait, Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebũt. In hac ergo pœnitentia maiorem quiſque in ſe ſeueritatem debet exercere, vt à ſeipſo iudicatus non iudicetur à Deo. Et lib. de fide & operibus, cap. vi. docẽs quando, & quibus ſit dandus baptiſmus, *Videamus,* inquit, *vtrum ad percipiendum baptiſmum ſic admittendi ſint homines, vt nulla ibi vigilet diligentia, ne ſanctum canibus detur: vſqueadeo, vt nec apertiſſimi adulterij perpetratores, & eius perſeuerantiæ profeſſores, à ſacramento tantæ ſanctitatis videantur arcendi: quò ſine dubio non admitterentur, ſi per ipſos dies, quibus eandem gratiam percepturi, ſuis nominibus datis, abſtinentia, ieiunijs, exorciſmiſque purgantur, cum ſuis legitimis & veris vxoribus ſe concubituros profiterentur, atque huius rei quamuis alio tempore licitæ, paucis ipſis ſolennibus diebus nullam continentiam ſeruaturos. Quomodo igitur ad illa ſancta, recuſans correptionem, adulter admittitur*

tur, quò recuſans obſeruationem non admittitur coniugatus? ſed prius, inquiunt, baptizetur, deinde doceatur, quid ad bonam vitam moresque pertineat. Fit hoc, vbi quenquam forte dies vrget extremus, vt ad verba pauciſſima, quibus tamen omnia continentur, credat, ſacramentumque percipiat, vt, ſi ex hac vita migrauerit, liberatus exeat à reatu præteritorum omnium peccatorum. Si autem ſanus petit ſpatium diſcendi, quæ diſcenda ſunt, quod aliud opportunius tempus reperiri poteſt, quo audiat quemadmodum fidelis fieri ac viuere debeat, quàm illud, cum attentiore animo atque ipſa religione ſuſpenſo ſaluberrimæ fidei ſacramentum petit? An vſqueadeo diſſimulamus à ſenſibus noſtris, vt vel noſipſos non recordemur, quàm fuerimus attenti atque ſolliciti, quid nobis præciperent à quibus catechizabamur, cum fontis illius ſacramenta peteremus, atque ob hoc Competentes etiam vocaremur: vel non intueamur alios, qui per annos ſingulos ad lauacrum regenerationis accurrunt, quales ſint ipſis diebus, quibus catechizantur, exorcizantur, ſcrutantur, quanta vigilantia conueniant, quo ſtudio ferueant, qua cura pendeant? Si tunc tempus non eſt diſcendi quæ vita congrua tanto, quod accipere deſiderant, ſacramento, quando erit? An vero, cum acceperint, in tantis criminibus permanentes etiam poſt baptiſmum, non noui homines, ſed rei veteres, vt videlicet peruerſitate mirabili prius eis dicatur, Induite hominem nouum, & cum induti fuerint, poſtea dicatur, Exuite veterem: cum Apoſtolus ſanũ ordi-

ordinem tenens, dicat; Exuite veterem, & induite nouum: & ipſe Dominus clamet, Nemo aſſuit pannum uouum veſtimento veteri; & nemo mittit vinum nouum in vtres veteres. Quid autem aliud agit totum tempus, quo catechumenorum locum & nomen tenent, niſi vt audiant quæ fides, & qualis vita debeat eſſe Chriſtiani? vt cum ſeipſos probauerint, tunc de menſa Domini manducent, & de calice bibant, quoniam Qui manducat indigne, iudicium ſibi manducat & bibit. Quod autem fit per omne tempus, quod in Eccleſia ſalubriter cõſtitutũ eſt, ut ad nomen Chriſti accedentes, catechumenorũ gradus accipiant, hoc fit multo diligentius & inſtantius his diebus, quibus Competentes vocantur, cum ad percipiendum baptiſmum ſua nomina iam dederunt. & Epiſt. CLV. *Marciano veteri amico gratulatur, quòd Catechumenus ſit factus, hortans illum, vt baptiſmum accipiat, & Euchariſtiam: clauditq́; his verbis Epiſtolam, Tua mereri ſcripta deſidero, & te nomen dediſſe inter Competentes, vel daturum eſſe iam iamq́; cognoſcere. Dominus Deus noſter, in quem credidiſti, & hic, & in futuro ſæculo te conſeruet, domine merito ſuſcipiende, & in Chriſto dilectiſſime ac deſideratiſſime frater. Eodem pertinet, quod B. Greg. Magnus Fantino defenſori in Sicilia ſcribit Epiſt.* XXIIII. *lib.* VII. *Indictione* I. *Domina Abbatiſſa, inquit, Monaſt. S. Stephani, quod in Agrigentino eſt territorio conſtitutum, indicante comperimus, multos Iudæorum ad Chriſtianam fidem, diuina gratia inſpirante, velle conuerti, ſed eſſe neceſſarium, vt*

ali-

aliquis illuc ex noſtro mandato debeat proficiſci. Proinde huius tibi auctoritatis tenore præcipimus, vt omni excuſatione ſubmota ad prædictum locum pergere, & deſiderium eorum tuis, Deo propitio, adhortationibus adiuuare feſtines. Quibus tamen ſi longum vel triſte videtur ſolennitatem ſuſtinere Paſchalē, & eos nunc ad baptiſma feſtinare cognoſcis, ne, quod abſit, longa dilatio eorum retro poſſit animos reuocare, cum fratre noſtro Epiſcopo loci ipſius loquere, vt pœnitentia ac abſtinentia quadraginta dierum indicta, aut die dominico, aut ſi celeberrima feſtiuitas fortaſſis occurrerit, eos omnipotentis Dei miſericordia protegente baptizes. Si vero ſanctum Paſcha elegerint expectare, iterum cum Epiſcopo loquere, vt modo quidem Catechumeni fiant, atque ad eos frequenter accedat, geratque ſollicitudinem, & animos eorum admonitione ſuæ adhortationis accendat, vt quanto quæ expectatur, eſt longa feſtiuitas, tanto ſe præparent, vt eam deſiderio feruenti debeāt ſuſtinere; et c.

Triduanum ei indixere ieiunium.] *Hanc conſuetudinem ſignificauit Auguſtinus loco, quem ſupra ex lib. de fide et operibus Cap.* VI. *exſcripſimus.*

Xyſtum vrbis Romæ Epiſcopum.] *Ex antiquo more: ſic etiā ad S. Vrbanū miſſus eſt Valerianus B. Cæciliæ ſponſus baptizandus. Neque id muneri ſobire dedignabantur ſanctiſſimi illi Pontifices, qui nihil aliud cogitabant aut curabant, quàm cultum & gloriam Dei, ſalutemque mortalium. fuit autem hic Xyſtus primus, Romanus è regione viæ Latæ,*

tæ,tenuitque Apoſtolicam Cathedram ſeptimus à B.Petro, annis X. *creatus Pontifex Traiano Imp. anno Chriſti* CXVII. *Kal.Decembr.occiſus fidei cauſa ſub Hadriano principe* VIII. *Id. April. anno Domini* CXXVII.

In cryptam quandam.] *accerſitum B.Xyſtum in Sabinos duxerunt, vbi Getulius erat. Cur autem in cryptam ingreſſi ſunt? Veriſimile eſt eam cryptã fuiſſe illis pro Eccleſia & oratorio, per illa præſertim tempora, cum latebras Chriſtiani petere cogerentur, quòd in propatulo ſacra myſteria obire, aut Eccleſias Chriſtiano ritu ædificare haudquaquam liceret, ob rabiem Tyrannorum, & Chriſtiani nominis inuidiam: qua de re in noſtris ad SS. Abundij & Abundantij martyrum hiſtoriam notis fecimus mentionem.*

More chriſtiano eum catechiſmo imbuit.] *Hunc morem cum ipſa Eccleſia quodammodo natũ Auguſtini, quæ modo attulimus, ſcripta teſtantur; vt mihi neceſſe non ſit alijs teſtimonijs in eam rem producendis cartas implere. catechiſmus, vti & catecheſis, græca vox eſt; à verbo* κατηχίζω, *inſtituo, admoneo, vel* κατηχέω, *audio, initior, voce erudio, ab* ἠχεῖν, *quod eſt, ſonare voce. Iſidorus lib.orig.*VII.*Catechumenus, inquit, dictus pro eo, qui adhuc doctrinam fidei audit, nec dum tamẽ baptiſmum percepit. nam* κατηχούμενος *Græcè auditor dicitur. Priſcis Theologis apud Aegyptios morem fuiſſe ferunt, vt myſteria voce tantùm, veluti per manus poſteris relinquerent. Apud Chriſtianos, qui baptiſmatis*

erant

erant candidati,ijs viua voce ſine ſcriptis fidei Chriſtianæ myſteria tradebantur. Itaq. Catechumenos ſæpe tum Audientes,tum Auditores, Cyprianus & Tertullianus ætatis ſuæ more appellant. Iis doctor apud veteres præficiebatur. Vnde idem Cyprianus Epiſt. XXII.*lib.*III.*ſcribit ſe Optatũ conſentientibus presbyteris,doctoribus,& lectoribus,doctorem Audientium conſtituiſſe. Demetrius Epiſcopus Origenem Adamantium catechumenis apud Alexandriã magiſtrum præfecit. Quo quidem munere primus poſt Apoſtolos Alexandriæ Pantænus, proximus Clemens,tertius Origenes Clementis diſcipulus functus eſt. Auctor Euſeb. Eccl. Hiſt. lib.* VI. *Cap.* III. *Audientium item mentionem facit Concil. Nicæ.*I. *Can.*XIII.*& apud.Grat.* XII. *quæſt.* II. *Can. de viro. Hos fidei tyrones nouitiolos etiam Tertullianus libro de pænitentia vocat: Qui ſanè in templo manebant,donec Euangelium expoſuiſſet Epiſcopus. Tum Leuites clamabat, Catechumeni exeunto; vel, Si quis catechumenus remãſit,Exeat. Ab hac catechumenorũ dimiſſione,venerando altaris ſacrificio nomẽ eſt Miſſæ tributum:vt in Lexico Iſidori refertur. Sic Conſul Romanus dimittebat:& in quibuſdam Ethnicorum ſacrificijs Lictor clamitabat,Hoſtis, vinctus, mulier,virgo,Exeſto,ideſt, extra eſto: ſcilicet intereſſe prohibebatur. Feſtus. Hodie in fine Sacri,Leuita pronunciat,Ite,miſſa eſt,vt idem ſit, quod, miſſio eſt;quod olim initio dicebatur, ante quam videlicet ipſa myſteria inciperentur. Hinc iuxta vulgarem conſuetudinem Ambroſius,Miſſas facere,dixit. A parte*

te totum eſt nominatum. Nam proprie miſſa erat tẽpore ſacrificij, cum Eccleſia exire catechumeni, vt diximus iubebantur. Eoſdem Dionyſius ſuſceptores, compatres vulgus appellant. Sic etiam per ea tempora remiſſam, pro remiſſione dixere: Cyprian. lib. de bono patientiæ. Dominus, inquit, baptizatur a ſeruo, & remiſſam peccatorum daturus, ipſe non dedignatur lauacro regenerationis corpus abluere. Et Epiſt. XIIII. *Qui autem blaſphemauerit in ſpiritum Sanctum non habet remiſſam, ſed reus eſt æterni peccati. Et Tertullian. aduerſus Marcionem lib.* IV. *Diximus de remiſſa peccatorum.*

Obtulit ſancta libamina.] *Adorandum Miſſæ ſacrificium ſignificatur, quod ab Eccleſia, & à ſanctis Patribus ſacrificium, & laudis ſacrificium, incruentum ſacrificium, myſticum miniſterium, ſancta, diuina myſteria, ſacra myſteria, ſacra myſtica, oblatio, hoſtia, ſacra munera nominantur. Has autem voces libamen, libamentũ, libationem, vt ipſum libãdi verbum, ſacris a Latinis attributas, atque in veteri inſtrumento ſæpius eadem in re vſurpatas, Eccleſia ita recepit, vt hoc ſalutare atque unicum ſacrificium deſignaret. Hinc illa ſunt; Diuina libantes myſteria, & Ad ſuperni plenitudinem ſacramenti, cuius libauimus ſancta, tendamus, et c.*

Participes eos fecit ſacroſancti corporis & ſanguinis Chriſti.] *Tunc enim ex veteri more conſuetudineque naſcentis Eccleſiæ, laicis etiã, ut cuiq. libuiſſet, ſub utraque ſpecie ſacra Euchariſtia impartiebatur: id hoc loco & illud ſimul indicatur, Chri-*

ſti

ſti corpus ſtatim poſt baptiſmũ dari ſolitũ. Medicus ille Iudæus à S. Baſilio, paulo poſt morituro, baptizatus ſimul, & hac cæleſti refectus eſt menſa.

In fide cõfirmaſſet] *Id his verbis ſignificari puta, Chriſtianos illos Xyſti cohortatione ad fidei, & pietatis conſtantiam confirmatos & inſtructos fuiſſe.*

Aurum publica exactione collectum aſportaturus] *Id a Cereale collectum licet intelligi ex ijs, quæ paulo inferius ab ipſo dicuntur, Et theſauros publicos declinatione perfecta tradidi in publicum. Idcirco enim (aliæ quoque cauſæ forſitan erant) officiales illi Cerealem quærebant, vt pecuniam publicam, quam exegiſſet, Vincentio traderet, ærario inferendam. Vnde Ado, Eodem tẽpore, inquit, quidam, Vincentius nomine, nummorũ Arcarius, comperiẽs vicarium Cerealem chriſtianum, iratus valde nunciauit hoc Hadriano, qui mox Licinium Conſularem direxit, &c. Ea porro pecunia ex penſionibus redigebatur, quarum tria genera apud antiquos fuiſſe docet Aſconius in.* IIII. *Ver. Canonem, oblationem, indictionem, vt ſit hodie Canon, ait Budæus, quod domanium dicitur, vt portoria, vectigalia, & huiuſmodi; oblatio, quæ auxilia nunc dicimus, vt octaua vini heminatim diuenditi, & viceſima eius, quod cupatim culeatimque vænit: reliquarumque mercium, quæ à ſolidariis negotiatoribus uẽdũtur, quos groſſarios appellant; quæque à minutarijs, & venditatoribus, qui et propolæ dicuntur, hoc eſt, non ſua vendentes, ſed à negotiatoribus emptitata, pluris poſtea vendentes; Indictio eſt, quam taleam vocamus; an-*

tiqui collationem vocabant; Cicero etiam collectam dicit; Græci ἔρανον appellant, & συμβολὴν. Hodie coactores, id eſt receptores, canonarios, oblationales, indictionales, fiſcarios, et ærarios, aliȷſque nominibus appellare licet latine loquẽtibus. hæc Budæus. Eſt in C. lib. XII. *titulus* LXI. *de executoribus, et exactoribus; vbi exactor intra annum, quid exegerit, iubetur oſtendere, et ſi non exegit, cauſam denotare, cur non exegit. dicitur itẽ, exactorẽ præfecti prætorio, antequam exactionẽ publicarum pecuniarũ ſuſceptam impleat, aliam ſuſcipere non poſſe; ſi tamen fuerit neceſſitas, duas exactiones ſimul in eadem prouincia faciendas ſuſcipere poße, ſed non tres. Quæ quidem licet ab Impp. Arcadio, Honorio, Zenone, Anastaſio, & Iuſtiniano Auguſtis manarint, qui lõgiſſimo temporum interuallo Hadrianum ſequuti ſunt, aliquam tamen huic loco poßunt lucem afferre. plæraque etiam huius generis à maioribus priſciſq; Cæſaribus inſtituta, & per manus tradita poſteriores Auguſti acceperunt, & accepta retinuerunt atque ſeruarunt.*

Relictiſque dijs, phantaſmata ſectatur] *conſtat aliud eſſe phantaſiam, aliud phantaſma. phantaſiam definiunt imaginem rerum animo inſidentium, ſpeciem, quæ animo concipitur, imaginationem, figurã alicuius rei, quæ ſenſu comprehenſa eſt, relictam in mente. Quintil. lib.* VI. *cap.* II. *Quas phantaſias Græci vocant, nos ſane viſiones appellamus, per quas imagines rerum abſentium ita repræſentantur animo, vt eas cernere oculis ac præsẽtes habere videamur. Ci-*

cero

cero viſum vocat lib. I. Academ. De ſenſibus ipſis quædam dixit noua, quos iunctos eſſe cenſuit è quadam quaſi impulſione oblata extrinſecus, quam ille phantaſiam, nos viſum appellemus licet. phantaſma vero, quod menti occurrit, velut id, quod per quietem ſiue in ſomnis videmus. Itaque phantaſma dicitur imaginatio ſeu viſio eius, quod non eſt, phantaſia eius ſolum, quod eſt, auctore Suida. Ariſtoteles (ſi modo is illius eſt auctor opuſculi) libro de mundo cap. III. *phantaſmata pro ijs accipit, quæ apparent tam verè quam falsò: Eorum, inquit, quæ in aere apparent, alia ſpecie tenus exiſtunt, alia etiam habent naturæ ſubſiſtentiã, ſic vertit Budæus. Ethnici homines à veritate atque à recta religione alieni, cũ ſimulacra manufacta, & omni quidem ſenſu carentia, ſed humanis tamen expoſita ſenſibus, pro Dijs haberent & colerent; verum Deum, qui ſpiritus eſt, & lucem habitat inacceſſam, & mortalibus oculis cerni non poteſt, ignorantes, & Chriſtianis eius cultoribus illudentes, phantaſma dicebant, perinde quaſi & ipſi certos ac præſentes Deos ſuos oſtenderent, & nos numen veneremur incertum, abditum, atque abſens; Hinc illud eſt Lucani Poetæ lib.* II. Et dedita ſacris incerti Iudæa Dei: *& Corn. Tacit. lib.* XXI. *Romanorum primus, inquit, Cn. Pompeius Iudæos domuit, templumque iure victoriæ ingreſſus eſt. Inde vulgatum, Nulla intus Deum effigie vacuam ſedem, et inania arcana. Verum enim vero religio Chriſtiana (vt ſanctus Auguſtinus lib. de ciuitate Dei.* VIII. *cap.* XXIII. *docet) quanto eſt veracior atque ſan-*

 ctior,

ctior, tanto vehementius & liberius cuncta falſa figmenta ſubuertit, vt gratia veriſſimi Saluatoris liberet hominem ab iјs dijs, quos facit homo. & paulo poſt; Citius fit, vt homo in honore poſitus pecoribus non intelligens comparetur, quàm vt operi Dei ad imaginem eius facto, id eſt, ipſi homini opus hominis præferatur. Quapropter homo merito deficit ab illo, qui eum fecit, cum ſibi præficit, quod ipſe fecit. Et lib. de vera innocentia cap. CXV. *Sic ſunt qui colunt idola, quomodo qui in ſomnis vident vana, ſi autem euigilet anima ipſorum, intelligit à quo facta ſit, & non colit quod ipſa fecit.*

Licinium conſularem] *Nationum & prouinciarum nouam quandam diuiſionem Hadrianus excogitauit, Imperiumque longè diuerſa ratione diſpoſuit ab ea, quam conſtituerat Auguſtus. Quod breuiter his verbis Sex. Aurelius Victor oſtendit: Officia ſanè publica & Palatina, necnon militiæ in eam formam Hadrianus ſtatuit, quæ paucis per Conſtantinum immutatis hodie perſeuerat. Atque (vt præter ceteros auctores Sex. Rufus memoriæ prodit) in primis Italiam in* XVII. *diæceſes, ſiue prouincias, ſiue adminiſtrationes diſtinxit; quibus ſingulis ſuos magiſtratus præfecit, quorum aliquos Conſulares, aliquos Correctores, aliquos Præſides appellauit. Conſulares octo, Correctores duos, præſides ſeptem fuerunt. Iuſtinianus Aug. Authen. in Conſtit.* XVII. *Correctores, Conſulares, & Spectabiles inter eos iudices numerat, qui minores vel medias adminiſtrationes gerunt. In antiquis martyrologijs actiſq; Sanctorum*

ctorum obſeruauimus tam conſulares, quàm præſides, Præfectorum etiam nomine nuncupari: exempli gratia, Apricius, qui Diocletiano Imp. Cappadociæ præfuit, VI. *Febr. a Maurolyc. & M. R. Præſes, a Beda præfectus vocatur: Nicetius item, qui Bithyniã ſub eodem rexit Imp.* II. *Aug. Conſularis,* XXI. *Decemb. Præfectus nominatur: hic ipſe Licinius Conſularis, à Beda præfectus appellatur. iidem Proconſules etiam aliquando dicuntur; licet olim Ro. florente republica Procõſul is eſſet, cui annuo magiſtratu perfuncto, cum non expediret conſulem è prouincia decedere, ne ſine honore eßet, imperium ſæpe prorogabatur, vt eam prouinciam proconſul, non vt conſul, adminiſtraret: poſtea hoc nomẽ ad eum etiam traductum eſt, qui cum conſulari poteſtate extraordinaria ad aliquã regendam prouinciam mittebatur. Auguſtus, teſte* Suetonio *cap.* XLVII. *prouincias validiores, et quas annuis magiſtratuũ imperijs regi nec facile, nec tutũ erat, ipſe ſuſcepit: ceteras Proconſulibus ſortitò permiſit. Idẽ conſulares cũ iure gladij ciuitatibus Italiæ dedit. Hadrianus quatuor præterea cõſulares per Italiã iudices cõſtituit. Aelius Spartianus in Hadriano: Iulius itẽ Capitolinus in* Ant. *Pio; Antoninus, inquit, ab Hadriano inter quatuor conſulares, quibus Italia cõmittebatur, electus eſt ad eã partẽ Italiæ regendã, in qua plurimũ poſſidebat. Idẽ in M. Ant. Philoſopho; Datis Iuridicis Italiæ cõſuluit, ad id exẽplũ, quo Hadrianus cõſulares viros reddere iura præceperat. A dicũdo iure præfectos Italiæ ab Hadriano principe inſtitutos intelligit, inquit E-*

gnatius. Eſt in I. *lib. Digeſt. tit.* XIX. *de officio Iuridici. Hos autem quatuor conſulare, diuerſos ab illis octo, quos Sex. Rufus ponit, exiſtimare debemus. Licinius conſularis, cuius ſit in hac Hiſtoria mẽtio, vtro in numero fuerit, non diſputabo; nihil enim, aut certe non multum refert; atque vtrumcumque dicatur, id à propoſito non abhorrebit.*

Ad vrbẽ Sabinorum.] *Gauis nominatur ab hoc ſcriptore; ſed vbi ea fuerit, incompertum eſt. fuiſſe autem iuxta Eretum oppidum (uicum appellat Strabo lib.* V.*) ſuſpicari licet ex eo, quòd ab Roma* XIII. *mill. abeſſe dicitur in hiſtoria.*

Sanctoſque ſibi vinctos exhiberi.] *Hoc eſt, præſentari, ſeu Siſti, vt tum ij loquebantur, qui ſanctorum acta ſcribebant, apud quos aliter etiam verbum id vſurpatur, cum S. Romanus martyr fuſtibus exhibitus dicitur; quod aliàs ſcribitur caeſus, debilitatus, contuſus. Beda tamẽ et Vſuardus habent, Cũ fuſtibus exhibitus, ac decollatus eſt. M. R. Et mox exhibitus, ac fuſtibus cæſus, ad vltimũ decollatus eſt*

Sacrifica Dijs Ioui & Marti.] *Illum vt ſummum Deorum, hunc vt Ro: generis parentem, præſidemque in bello, colebant; vtrique autem in vrbe vt varia cognomina indita ſunt, ſic etiam ſimulacra & templa erecta: Ioui Feretrio primum in vertice collis Capitollini à Romulo votum atque ædificatum, Liu. lib.* I. *Valer. lib.* III. *cap.* II. *Florus lib.* I. *cap.* II. *Propert. lib.* IIII. *eleg.* XI. *Ouid. Dionyſ. Plut. Sextus Pomp. & alij. Secundum Ioui Statori, idque duplex, vnum ad radices Palatij ſiue montis Palatini,*

forumq.

ſorumque Romanum, ab eodem Romulo votum, & excitatũ. Liuius lib. I. *Ouid. in Faſt. & alij: Alterũ ad finem circi Flaminij, à L. Poſtumio Megello & M. Attilio Regulo Coſ. votum. vt Liu. lib.* X. *& à Q. Metello Macedonico factũ, de quo Velleius Paterculus: Tertium Ioui optim. max. ſiue Ioui Capitolino, in eodem Capitolio à Tarquinio priſco votum, à Superbo conditum, à M. Oratio Coſ. collega Publicolæ dedicatum. Liu. lib.* I. *Ouid.* II. *Faſt. Dionyſ. & c. Quartum Ioui Sponſori ab Tarquinio ſuperbo in Capitolio poſitum, & a Poſtumio dedicatum; Quintũ Ioui Victori in Palatio à Q. Fabio Maximo quintum Coſ. votum; Liu. lib.* X. *Ouid.* IIII. *Faſt. Sextum Tonanti Ioui, quod in Capitolio Auguſtus exſtruxit & conſecrauit, liberatus periculo, cum in expeditione Cantabrica per nocturnum iter lecticam eius fulgur perſtrinxiſſet, ſeruumque prælucentem exanimaſſet. Suet. in Auguſt. cap.* XXIX. *Septimum Ioui Vltori, Pantheon. à M. Agrippa Auguſti genero factum, de quo Plin. lib.* XXXVI. *cap.* XV. *Pantheon autem idcirco dicitur appellatum ab Agrippa, quòd poſt Iouem dijs omnibus conſecrarit; Alij vero, ſiue quòd matri Deum, atque omnibus dijs ſacrum eſſet, ſiue quòd mundi formam, hoc eſt, circularem, haberet, Pantheon nominatum affirmant. Octauum Ioui Cuſtodi in Capitolio ab Imp. Domitiano excitatum. Suet. in Domitiano cap.* V. *Aliud denique, vt Liuius ſcribit lib.* XXXIIII. *à L. Furio Purpurione prætore votum, ab eodem poſtea Coſ. locatũ, & à C. Seruilio duumuiro dedicatum in inſula Tiberina iuxta ædem*

Aeſculapij, qui medicæ artis Deus eſt habitus, cuique tota inſula ſacra erat ob eius ſimulacrum, ſpecie ſerpentis ab Epidauro accerſitum, & in eam aduectum; qua de re Valerius lib. I. *cap.* VIII. *Ouid. lib.* XV. Metamor. *Liuius ad calcem.* X. *libri, Plin. lib.* XXIX. *cap.* IIII. *ſic, Atqui anguis Aeſculapius Epidauro Romam aduectus eſt, vulgoque paſcitur & in domibus. Lactant.* II. *cap.* XVII. *Hinc, quòd ſerpens vrbem Romam peſtilentia liberauit, Epidauro accerſitus. Nam illuc* δαιμονιάρχης *ipſe in figura ſua ſine diſſimulatione perductus eſt: ſiquidem legati ad eam rē miſſi, draconem ſecum miræ magnitudinis attulerunt. De hac æde Sex. Pompeius, In inſula, inquit, Aeſculapio facta fuit ædes, quòd ægroti à medicis aqua ſuſtententur; Eiuſdem eſſe tutelæ draconem aiunt, quòd vigilantiſſimum ſit animal; quæ res ad tuendam valetudinem ægroti maxima eſt: canes adhibentur eius templo, quia is vberibus canis ſit nutritus: bacillum habet nodoſum, quod difficultatem ſignificat artis: laurea coronatur, quòd ea arbor plurimorum ſit remediorum. Huic Gallinæ immolabantur. Sunt qui putent hanc ædem in inſula idcirco conſtitutam fuiſſe, quòd fluxu motuque aquarum ſit aer ſalubrior, alioquin extra vrbem poni cōſueuiſſe Pli. lib.* XXIX. *cap.* I. *his verbis teſtatur; Ideo Romani templum Aeſculapij, etiam cum reciperetur is Deus, extra vrbem feciſſe, iterumque in inſula traduntur. Huic ædi propinquum erat Noſocomium, hoc eſt latinè, valetudinarium, locus, vbi ægroti curantur. Id Suetonius indicat in Claudio cap.* XXV. *Cū*

quidam,

quidam, inquit, ægra & affecta mancipia in inſula Aeſculapij, tædio medendi exponerent; omnes, qui exponerentur, liberos eſſe ſanxit, nec redire in ditionem domini, ſi conualuiſſent; quòd ſi quis necare mallet quem, quàm exponere, cædis crimine teneri. Vt autem Iouis fanum fuiſſe dicitur, vbi nunc eſt eccleſia S. Bartholomæi Apoſtoli, ſic Aeſculapij, vbi Sancti Ioannis Euangeliſtæ, & S. Ioannis Calybitæ cernitur templum; De vtroque P. Victor in libello de vrbis Romæ regionibus & locis, Regione XIIII.*Tranſtiberim, In Inſula ædis Iouis, & Aeſculapij, & ædis Fauni. Ceterum ædis, vt ædes, nominatiuo ſingulari dixit, ſicut & Varro lib. de lingua latina* IIII. *& lib.* I. *de vita populi Romani, & Feſtus, & Nonius: Hinc eſt diminutiuum ædicula, vti ab auis auicula; ab ædes autem fieret potius ædecula, vt à vulpes uulpecula. Hæc dixerim, ne quis in verbis P. Victoris erratum ſuſpicetur; quæ illud etiam videntur ſignificare, vnam videlicet eandemque fuiſſe ædem Iouis & Aeſculapij; ſed hanc ſuſpicionem erroremque Ouidius tollit, cum in* I.*Faſtorum ſit canit,*

Quod tamen ex ipſis licuit mihi diſcere faſtis,
Sacrauere patres hac duo templa die.
Accepit Phæbo, Nymphaq; coronide natum
(id eſt Aeſculapium)
Inſula, diuidua quam premit amnis aqua.
Iuppiter in parte eſt: cepit locus vnus vtrumq;
Iunctaque ſunt magno templa nepotis auo.

Eodem loquēdi genere vſus eſt Vitruuius lib. III.

cap.

*cap.*I. *Proſtyli exemplar eſt in inſula Tiberina in æde Iouis & Fauni; hanc Iouis ædem proxime demõſtrauimus; ædem vero Fauni in eadem inſula P. Victor ponit; Liuius lib.* XXXIIII. *à C. Scribonio & Cn. Domitio Aedilibus ex mulctatitio argẽto faciendam locatam, ab eodemque Domitio poſtea prætore vrbano dedicatam refert. Ouid.* II. *faſtorum, in prora (ſiquidem forma nauis, quæ anguem Aeſculapium dicitur aduexiſſe, non inſulæ modo data eſt, ſed memoriæ cauſa nauis etiam ex Thaſio lapide ſculpta in eiuſdem inſulæ puppi collocata, & in altero eius latere ſerpentis effigies) fuiſſe oſtendit, cum dicit,*

Idibus agreſtis fumant altaria Fauni
Hic, vbi diſcretas inſula rumpit aquas.

Eius ædis nunc veſtigia nulla cernuntur. Ab ijs templis inſula tum Iouis Lycaonij, tum Aeſculapij appellata eſt. Ceterum ſicut vtriuſque Dei, ſeu verius Cacodæmonis has proximas ſedes Chriſtus verus & vnicus Deus ſuorum Apoſtolorum Ioannis & Bartholomæi nomine occupauit; ita antiquiſſimum illum Noſocomij vſum atque ædificium eodem pœnè loco his proximis annis renouauit per homines inſigni religione, modeſtia, vitæque integritate ac ſeueritate conſpicuos, in quibus nullum humanitatis & Chriſtianæ charitatis aduerſus ægrotos deſiderare poſſis officium. Indignum enim profecto erat, hoc, aut alio quouis virtutis & officij genere ethnicos Chriſtianis præſtare. Marti quoq; ſua fuere templa: vnũ extra portam Capenam via Appia elegans, & magnum, quod Martis extramuranei

nei dicebatur, à Sylla Felice reſtitutum, ampliatumque, ac ſupra centum columnas poſitum tradunt: de hoc Cic. III.*ad Q. Fratrem* VII.*Ouid.*VI.*Faſt. Liuius pluribus locis, & alij; vt Seruius, qui enarrans illud Virgil.in* I.*Aeneid.*

Cana Fides, & Veſta. Remo cũ fratre Quirinus
Iura dabunt.

*Martis, inquit, duo templa; vnum Quirini intra vrbem prope portam; quaſi cuſtodis, & tranquilli: alterum in via appia extra urbem, quaſi bellatoris & gradiui. de hoc Ouid.lib.*VI.*Faſt.*

Lux eadem Marti feſta eſt, quę proſpicit extra
Appoſitum rectæ porta Capena viæ.

Etenim, ut Vitruuius lib. I.*cap.* VII.*docet, Martem, Venerem, & Vulcanum veteres Romani Etruſcorum diſciplina edocti, extra mœnium ſepta collocandos cenſuerunt, propterea quòd libidini, uoluptati, incendijs, iurgijs, litibus præſſent. Eos in urbe coluerunt, qui frugi eſſent, hoc eſt, qui ijs rebus præeſſent, vnde ad matronas & adoleſcentiam nihil mali manare poſſet, atque adeo qui prodeſſent, Vitruuij verba ſunt illa; Aedibus vero ſacris, quorum deorum maxime in tutela ciuitas videtur eſſe, vt Ioui, & Iunoni, & Mineruæ, in excelſiſſimo loco, vnde mœnium maxima pars conſpiciatur, areæ diſtribuãtur: Mercurio autem in foro, aut etiam, vti Iſidi, & Serapi, in emporio, Apollini patrique Libero ſecundum theatrum: Herculi, in quibus ciuitatibus non ſunt gymnaſia neque amphitheatra, ad circũ: Marti extra vrbẽ ad campum: Itemq. Veneri ad portam:*

Id autem etiã Etruſcis aruſpicibus, diſciplinarum ſcriptis ita eſt dedicatum: extra murum, Veneris, Vulcani, Martis fana ideo collocari, vti nõ inſueſcat in vrbe adoleſcentibus, ſeu matribus familiarum Venerea libido: Vulcaniq; vi è mœnibus, religionibus, & ſacrificijs euocata, ab timore incendiorum, ædificia videãtur liberari. Martis vero diuinitas, cũ ſit extra mœnia dedicata, non erit inter ciues armigera diſſenſio, ſed ab hoſtibus ea defenſa, à belli periculo conſeruabit. Item Cereri extra vrbem loco, quò non ſemper homines, niſi per ſacrificium, neceſſe habeant adire, cum religione, caſtè, ſanctiſque moribus is locus debet tueri. Hæc Vitruuius, cuius præceptũ non ſemper ſeruatum fuiſſe ex eo facile patet, quòd infelices illi cæcique homines interdum alios etiam in vrbem Deos, ne obeſſent, aſciuerunt. Nam Febris fanum in Palatio fuiſſe apud Cicer. libro III. *de Nat. Deor. legimus, Quis, inquit, tantus error fuit, vt pernicioſis etiam rebus non modo nomen Deorũ tribueretur, ſed etiam ſacra conſtituerentur? Febris enim fanum in Palatio, & ædem Larum, & aram Malæ fortunæ in Eſquilijs conſecratam videmus. &* II. *de leg. & apud Valer. max. libro* II. *cap.* I. *de inſtitutis antiquis, Febrem autem ad minus nocendum templis colebant, quorum adhuc vnum in Palatio, alterum in area Marianorum monumentorum, tertium in ſumma parte Vici longi exſtat: in eaque remedia, quæ corporibus ægrorum adnexa fuerant, deferebantur: & apud Plin. lib* II. *cap.* VII. *Veneris item ædem fuiſſe in foro Cæſaris vel ipſe Vitruuius*

docet

docet lib.XII.cap.II.apud circum maximum Liuius collocat lib.X. Vulcani autem & in Circo Flaminio, & apud Comitium fuiſſe ſcribunt Dionyſ. & Sex. Pompeius. Malamfortunam in Exquilijs fanum habuiſſe Cicero III. de Nat. & II. de leg. vt proxime diximus, & Plin.lib.II.cap.VII.tradunt. Martis vero Vltoris templum ad forū Augusti conſtituūt Ouid.v.faſt.Plin.lib.XXXVI.cap.XIV. Suet. in Aug. cap. XXXIX. Id Aug. bello Philippenſi ſiue Pharſalico, quod pro paterna vltione ſuſceperat, vouit, votiq.reus, in ea parte ſui fori exſtruxit, quæ. S. Martinæ Virginis & mart.ædem attingit, ſanxitq. vt de bellis, triumphiſq. hic conſuleretur Senatus, prouincias cum imperio petituri hinc deducerentur, quiq. victores rediſsent, huc inſignia triumphorum inferrent. A quibuſdam hæc ipſa ædes S. Martinæ illud Martis Vltoris templū fuiße exiſtimatur. Veteres enim Chriſtianæ Romæ Pontifices, Apoſtolorū principis ſucceſsores, diuina quadam ſapientia præditi, illud etiam animaduerterunt atque ſeruarunt, vt, cū propagandæ religionis cauſa templa falſorū & inanium Deorum in cultum veri Dei cōuerterent, atq. in Sāctorum eius honorem conſecrarent, quoad eius fieri poſset, aliquam in ijs aut rei aut nominis ſimilitudinem retinerent. hoc modo Pantheon, quod Ioui Vltori, aut Matri Deum, & dijs omnibus ſacrum fuiſse diximus, cum B.Mariæ, quæ & à forma templi Rotūda, et Ad Martyres nominatur, omniūq. Sanctorum nomine cōmutarunt: S. Apollinaris Eccleſiam ab Hadriano I. Pontifice max. ubi prius ædes

Apol-

Apollinis fuerat, ædificatam refert ex Pandulpho Lateranenſis baſilicæ Oſtiario Blondus lib. III. *inſtauratæ Romæ.iuxta fanum Herculis, qui Alexicacos à Græcis, id eſt, malorum depulſor,appellabatur, ædificata in Auentino ab Aglae matrona,nomine* Sancti *Bonifacij mart.ædes, poſtea* S. *Alexij etiam, illato in eam ipſius corpore, nominata eſt. Templum Romuli ac Remi fratrũ, Sanctis Martt. Coſmæ & Damiano fratribus dicatum eſt.Demum, vt alia omittamus,in Eccleſia S. Virginis,ac mart. Chriſti Martinæ Romanæ dedicanda,ſiue olim ea ſecretarium Populi Romani (vt hæc vetus inſcriptio indicare videtur,quæ in eodem viſitur templo,*

Saluis Dominis noſtris Honorio & Theodoſio
victorioſiſſimis principibus Secretarium
ampliſſimi Senatus, quod inluſtris
Flauianus inſtituerat, &
fatalis ignis ab-
ſumpſit.

*Flauius Annius Eucharius Epifanius.*V C. *Præf. Vrb.ſacra Iud.reparauit, & ad priſtinam faciem reduxit) ſiue templum Martis fuerit,nominis certe habitam rationem uidemus. Aedes hæc, ut pleræque aliæ, quondam gradibus adibatur, noſtra ætate à fronte adeo depreſſa eſt, vt per multos in eam gradus deſcendatur.Quanto autem ſuperioribus ſæculis in honore fuerit, intelligere eſt ex Rituali omnium vetuſtiſſimo libro, qui in Vaticana bibliotheca ſeruatur in codice manuſcripto, qui inſcribitur Cenſuum S.R. E. compoſitus anno Chriſti*

M. CXII.

M.CXII. à Cencio ſiue Cynthio Sabello Diac. Card. S. Luciæ in Orpnea, & S.R.E. Camerario, ſub Cæleſtino III. Summo Pont. à quo is Cardinalis factus, Innocentio. III. poſtea ſucceſſit, & Honorius III. eſt appellatus. Is igitur liber docet per ea tempora morem fuiſſe, ut in Purificatione B. Mariæ Virginis prima luce Pontifex max. vnà cum Cardinalibus ad Eccleſiam S. Martinæ prope forum Rom. adiret, ibique primum tertiæ horæ pſalmos decantaret, deinde pontificales ſacras veſtes indutus, cereoſque ab vltimo presbyterorum Cardinalium ſacratos, templo egreſſus, & pro foribus ſedens manu ſua populo tribueret, tum per proximam porticum in S. Hadriani ædem ſe conferret: cumque pone aram maximam in ſella conſediſſet, ſextæ pſalmos perſolueret, deinde ſacris aliis indumentis ornatus candelas ſingulis Cardinalibus, & ceteris clericis, laiciſque diſpertiret; huc vbi decem & octo Diaconiarum clerici poſt ſacrorum ſolemnia ſuis quique prælatis imaginibus cum populo concinentes conueniſſent; tum Pontifex inciperet tibialibus detractis inde procedere, & antecedentia cum cantoribus ſacra vexilla atque imagines ſequens, ad Baſilicam S. Mariæ Maioris perueniret, vbi crepidas exutus, nudis pedibus (quod quidem omnibus in ſupplicationibus, in quibus modo pedibus incederet, ſeruare ſolitus erat). Eccleſiam ingreſſus, poſt hymnum, Te Deum Laudamus, in Secretarium ſe reciperet, pedibusq́. aqua calida lotis, denique cum veſtitu cultuque ad ſacrificandũ apto, Cardinalibus amictum congruentem indutis præeuntibus

tibus

tibus ad altare accederet; ſacriſque rite perpetratis, ad Lateranenſe patriarchium reuerteretur. Per multos iam annos, hæc paroecialis ædes triſti ſquallore ac ſitu horrebat, cum Xyſti v. Pontificis Max. prouidentia ac pietate, Pictorum Collegio adtributa, nunc demum cœpit in priſtinum decorem dignitatemque reſtitui.

Ad dies XXVII.] *Equilinus habet, ad dies* XXXVII. *Exemplar Vaticanum* XXVIII.

Ad XIII. milliaria ab vrbe Roma.] *Tibure igitur Hadriani iuſſu S. Getulius & ſocij in Sabinos reducuntur; & vel in eo ipſo loco, vbi comprehenſi fuerant, vel certè non longè, martyrio coronantur. huius enim narrationis initio dictum eſt, Getulium in regione Sabinorum habitaſſe non procul ab vrbe Roma, ibique cum Amantio, Primitiuo, & Cereale fuiſſe à conſulari Licinio inuentum, vinctumque Tibur adductum; & hic iidem ad tertiumdecimum lapidem ab vrbe Roma duci dicuntur, & ad flumen Tiberim necari; vnde ex verbis Adonis & Equilini conijcimus ſexto fermè lapide ab Ereto vico, quem hodie vulgo Montem rotundum appellant, paſſos fuiße.*

Caput ei fuſtibus confregerunt] *ceteris igne conſumptis, Getulius, cui flammæ pepercißent, fuſtibus caſus glorioſo martyrio vitam finiuit. Vaticanus codex habet, eradicatis fuſtibus uinearum. Quòd ſi quis fuſtium nomine non tam palos, hoc eſt, ligna, quibus ferè uineæ fulciuntur, unde & palandi uerbum manauit, quàm arundines intelligi uelit, proximè ac-*

mè accedet ad illam falſam imperiti vulgi opinionē & cantilenam, quæ S. Getulium ſiue Zoticum arundinibus à pueris interfectum affirmat; cum tamen probatiſſimi quique codices fuſtibus (ſeu quis malit, vinearum palis) à militibus occiſum teſtentur.

Sepeliuit in arenario prædij ſui.] *Liber Vaticanus arenarium hoc, vbi S. Symphoroſa B. Getulium coniugem funerauit, in fundo Capreolis ponit, vt idem pœne locus ſancto viro & martyrium dederit. & ſepulcrum. Hunc autem fundum, ſeu prædium Capreolis id fuiße neceße eſt, in quo is degebat & Chriſtianos diuinis præceptis inſtitnebat, prope ciuitatem Gauis, vt in quibuſdam exemplaribus legitur; vnde ſequitur ex Adone,* Conſummati ſunt beati Martires in fundo Capreolis via Salaria ab vrbe Roma plus minus milliario XIII. ſupra fluuium Tiberim in parte Sabinenſium.

In Sabinis hæc geſta cum ſint, non procul à Tiberi amne, & milliaria hodie multo eße, quàm priſcis ſæculis, longiora, in alijs notis oſtenderimus, decimum ab vrbe lapidem aſſignari exiſtimamus. Quodſi ita eſt, videndum erit, quomodo accipienda ſint illa, quæ poſt pauca ex Adone de B. Symphoroſa ſequuntur, videlicet.

Et ſepulta eſt in prædio ſuo, loco, & oppido ſupra nominato.] *Oppidum neque in hiſtoriæ huius contextu, neque apud ipſum Adonem nominatum eſt vllū: niſi dicamus Capreolis nomen oppidi Adoni fuiſſe. Hoc præterea cum eo, quod in vita B. Symphoroſæ narratur, cohærere non poteſt; vbi S. Sym-*

phoroſæ corpus ab Eugenio fratre collectum refertur, & in ſuburbano Tiburtinæ ciuitatis ſepultum, niſi dicamus aliquam breui factam eius translationem, vt vtrobique diuerſo tempore conditum eſſe potuerit ante, quàm matris reliquiæ cum filiorum reliquiis via Tiburtina coniungerentur.

Cum Exuperantio presbytero.] *De hoc B. Exuperantio mentionem facit Vaticanus etiam codex. In Martyrologio Bedæ, Vſuardi, Adonis, & Romano, aliiſque tertio Kal. Ianuarij nominatur S. Exuperantius diaconus, martyrium cum Marcello collega Spoleti ſub Maximiano Imp. perpeſſus, &* III. *Kal. Iunij Exuperantius Rauenn. Epiſcopus & confeſſor. De hoc presbytero nihil aliud inueni; niſi forte is fuerit, cuius reliquiæ Romæ in æde S. Bartolomæi Apoſtoli in Inſula Tiberina nunc eſſe dicuntur.*

XXVII. die menſis Iunij.] *Sic Ado, Bedam & Vſuardum ſecutus. Romanum vero Martyrologium S. Symphoroſæ & filiorum martyrium decimo octauo die Iulij menſis adſcribit; Getulij & ſociorum necem decimo Iunij omnes aſſignant. Fuit autem is annus à Virginis partu* CXXIII. *Ceterum tam Getulij & ſociorum, quàm Symphoroſæ ac filiorum paſſionem alij breuius texuerunt, nos pleniorem narrationem ſequi, notiſque, quantum licuit, illuſtrare maluimus. Præter hos auctores, meminerunt de iiſdem ſanctis martyribus Boninus, Surius volumine tertio, & Volaterran. lib.* XIII. *Comment.*

SS. SYMPHOROSAE ET SEPTEM FILIORVM

EX PLVRIBVS BONAE FIDEI codicibus, qui litteris Longobardicis ſcripti in antiquis bibliothecis, & ſacrarum Baſilicarum tabularijs aſſeruantur, exſcripta.

EVSEBIVS hiſtoriographus memorat Africanum pœnè omnium de vrbe regia atq. de tota Italia Chriſti martyrum res geſtas cōſcripſiſſe. Inter quos B. Symphoroſam viduam dixit apud Tiburtinam vrbem cum ſeptem filijs ſuis vna fermè die ab Hadriano Principe hoc ordine interfectam. Cum fabricaſſet Hadrianus palatium,& id dedicare vellet ritu illo nefario,cœpiſſetque ſacrificijs, Idolorum ac Dæmonum,qui in Idolis habitant, flagitare reſponſa:reſponderunt, & dixerūt, Symphoroſa vidua cū ſeptem filijs ſuis laniat nos, quotidie inuocando Deum

 ſuum.

ſuum. Iſta itaque ſi cum filijs ſuis ſacrificauerit, promittimus nos omnia præſtare, quæ petitis. Tunc Hadrianus Imperator iuſſit eam teneri cum filijs, & blandis eos ſermonibus hortabatur, vt ad ſacrificandum Idolis conſentirent, cui B. Symphoroſa dixit, Vir meus Getulius (*aliàs Zoticus*) cum fratre ſuo Amantio, Tribuni tui, cum ſint ambo pro Chriſti nomine paſſi diuerſa ſupplicia, ne Idolis conſentirent ad immolandum, quaſi boni athletæ, Dæmones tuos moriendo vicerunt. Elegerunt enim magis decollari, quàm vinci, paſſi mortem, quæ pro nomine Chriſti ſuſcepta, inter homines terrenos quidem ignominiam eis peperit temporalem, inter Angelos vero decus & gloriam ſempiternam: inter quos nũc gradientes, & trophæa paſſionum ſuarum dantes, cum æterno Rege vita æterna fruuntur in cælis. Hadrianus Imp. dixit ad S. Symphoroſam, Aut cum filijs tuis ſacrifica Dijs omnipotentibus, aut te ipſam cum filijs tuis ſacrificari faciam. B. Symphoroſa reſpondit; Et vnde mihi tantum boni, vt ego merear cũ

filijs meis offerri hoſtia Deo? Hadrianus Imp. dixit; Ego te Dijs meis ſacrificari faciã; B.Symphoroſa reſpondit; Dij tui me in ſacrificium accipere non poſſunt; ſed ſi pro nomine Chriſti Dei mei incenſa fuero, illos Dæmones tuos magis exuro. Hadrianus Imp. dixit. Elige tibi vnũ ex duobus, aut ſacrifica Dijs meis, aut malo interitu finieris. B. Symphoroſa reſpondit, Tu exiſtimas quòd poſſit animus meus aliquo terrore mutari, cum ego deſiderem cum viro meo Zotico (*alias Getulio*) quem prò Chriſti nomine interfeciſti, requieſcere? Tunc Hadrianus Imp. iuſſit eam duci ad fanum Herculis, & ibi primo alapis cædi, & poſt hęc capillis ſuſpendi; ſed cum nulla ratione nulloq. timore poſſet eam à bono propoſito reuocare, iuſſit eam alligato ad collum ingenti ſaxo in flumen præcipitari, cuius corpus colligens frater eius Eugenius, principalis curiæ Tiburtinæ, in ſuburbano eiuſdem ciuitatis ſepeliuit. Alia vero die iuſſit Hadrianus Imp. ſimul omnes ſeptem filios eius ſibi præſentari; quos cum ad ſacrificandum Ido-

lis prouocaret, & nullo pacto eos videret ſuis minis atq. terroribus cõſentire, iuſſit circa Herculis templum ſeptem ſtipites figi, & ibi eos ad trochleas extendi, & primum Creſcentem præcepit in gutture transfigi, ſecũdum Iulianum in pectore pungi, tertium Nemeſium in corde percuti, quartum Primitiuum in vmbilico vulnerari, quintum Iuſtinum auerſum per dorſum perforari gladio, ſextum Stacteum in latere vulnerari, ſeptimum vero Eugenium à ſummo vſq. deorſum findi. Altera vero die veniens Hadrianus Imp. ad fanum Herculis, iuſſit corpora eorum ſimul auferri, & proijci in foueam altam; & impoſuerunt Pontifices nomen loco illi, Ad ſeptem Biothanatos. Poſt hæc quieuit perſecutio anno vno, & menſibus ſex; In quo ſpatio omnium martyrum honorata ſunt ſancta corpora, & conſtructis tumulis condita cum omni diligentia: quorum nomina deſcripta ſunt in libro vitæ. Natalis vero ſanctorum martyrum Chriſti, Beatæ ſcilicet Symphoroſæ, & ſeptem filiorum eius, Creſcentis, Iuliani, Nemeſij,

ſij,

ſij, Primitiui, Iuſtini, Stactei, & Eugenij celebratur ſub die xv. Kal. Aug. Eorum corpora requieſcunt in via Tiburtina, milliario ab vrbe octauo (*aliàs nono*) regnante Domino Noſtro IESV Chriſto, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

In aliquibus exemplaribus additum eſt, Olim requieuerunt via Tiburtina, *&c.* Nunc autem auxiliante Domino requieſcunt in vrbe Roma in Baſilica B. Archangeli Michaelis, regnante, *&c.*

NOTÆ AD PASSIONEM SS. MARTT. SYMPHOROSAE ET SEPTEM FILIORVM.

EVSEBIVS hiſtoriographus.] *Hic Cæſarienſis debet intelligi, Cæſareæ Palæſtinæ nimirum Epiſcopus. Fuit autem in ſacris litteris apprime verſatus; & bibliothecæ diuinæ ſtudioſiſſimus perueſtigator vna cum Pamphilo martyre, cum quo ei arctiſſima familiaritas interceſſit, vnde etiam cognomen inuenit, & Euſebius Pamphili eſt appellatus; Eccleſiaſticam hiſtoriam in* x. *libros diſtinctam, & annos* CCCXXV. *à Chriſto ad Conſtantinum Magnum complexus, ex Philone, Ioſepho, Clemente Alexandrino, Egeſippo, Hippoly to Epiſcopo, Papia, & aliis, vt Nicephorus lib.* I. *cap.* I. *eſt auctor, conſcripſit. Alia præterea plurima edidit volumina, & in ijs illuſtres de martyribus commentarios; floruitque potiſſimum Conſtantino Magno, & Conſtantio eius filio Auguſtis;* S. *Hieronymus libro de viris illuſtribus, & ad Pammachium & Oceanum Epiſt.* LXV. *& in Apologia aduerſus Rufinũ, et ad Marcellam Epiſt.* CXLI.

Memorat Africanum.] *De hoc Iulio Africano*

idem Euſebius meminit lib. I. *hiſt. Eccleſiaſt. cap.* VI. *vbi eum haud vulgarem hiſtoriographum vocat & cap.* VII. *refert ad verbum longam ſanè eiuſdem Africani diſputationem de concordia Euangeliſtarũ Matthæi & Lucæ; & lib.* VI. *cap.* XXIV. *ſic ſcribit; Per idem tempus (id eſt Gordiano Imp. qui Maximino ſucceſſit anno Chriſti* CCXXXIX.*) Africanus commentariorum ſcriptor, qui κεστοὶ appellantur, magna commendatione ad hominum famam profluxit. Venerunt autem ad nos eiuſdem Africani et alia quinque annalium volumina accuratè lucubrata, in quibus ſe Alexandriam proficiſci dicit, &c. Sanctus Hieronymus lib. de ſcriptoribus eccleſiaſticis, Iulius, inquit, Africanus, cuius quinque de temporibus exſtant volumina, ſub. Imp. M. Aurelio Antonino, qui Macrino ſucceſſerat (anno Domini* CCXIX.*) legationem pro inſtauratione vrbis Emmaus ſuſcepit, &c. Idem S. Hieronymus in cõment. ad cap.* IX. *Danielis, enumeraturus Eccleſiæ magiſtrorum ſententias de obſcuriſſima quæſtione hebdomadarum Danielis, primo loco Iulij Africani ſententiam ponit, quam ex quinto de temporibus volumine refert ad verbum. Eam porro ſententiã poſtea grauiſſimi quique ſcriptores ſecuti ſunt, vt S. Ioan. Chryſoſtomus ſerm.* II. *contra Iudæos, Theodoretus in* IX. *caput Danielis, & alij. Epiſtola item Iulij Africani ad Origenem, & Origenis reſponſio ſuper quæſtione de hiſtoria Suſannæ (de qua meminit idem Euſebius lib. & cap. ſupra vltimo loco adductis) inter Origenis opera exſtant per Ambroſium Mediolanen-*

lanenſem S. Benigni Abbatem in Latinum conuerſa. Denique eiuſdem Iulij mentionem faciunt Suidas in ſuo dictionario, verbo Αφρικανὸς, *& Nicephorus lib.* V. *eccleſiaſt. hiſtoriæ cap.* XXI. *Eodem, inquit, tempore (Maximino Aug. qui imperauit ab anno Salutis* CCXXXVI. *ad annum* CCXXXVIII.) *cum Origene Iulium Africanum vixiſſe hiſtoriæ tradunt; qui & illius fuerit ſectator, & diligens Annalium ſcriptor, quos quinque complexus eſt libris. In eis ſcribit ſe præclara fama Heraclæ excitum profectionem Alexandrinam ſuſcepiſſe. Africanus hic librorum eorum, qui inſcribuntur Ceſti, auctor perhibetur. Dedit is quoque ad Origenem epiſtolam, &c. Floruit ergo hic Iulius Africanus ſub Imperatoribus M. Aurelio Antonino Heliogabalo (qui Macrinum proxime ſecutus eſt, anno redempti orbis* CCXIX.) *M. Aurelio, Alexandro Seuero, Mãmææ filio, C. Iulio Maximino, M. Antonio Gordiano* III. *qui occiſus eſt in Perſidis finibus anno* CCXLV. *Trittenhemius præter quinque libros chronicorum, alia quædam enumerat Iulij Africani volumina, quem philoſophum, hiſtoricum, & Theologum inſignem, diuinarum ſcripturarum, ac librorum ardentiſſimum amatorem fuiſſe ait, ſuiſque ſtudijs & ſumptibus apud Cæſaream Palæſtinæ egregiam condidiſſe bibliothecam.*

De vrbe regia.] *Romam ſignificat, quæ ſanè quantopere regium nomen ſemper exoſum habuerit, Sp. Melij, & Tib. Gracchi declarat interitus, qui propter ſuſpicionẽ regni appetendi ſunt necati,*

vt præter ceteros Cicero auctor eſt in Antonium, & pro Milone, atque alibi ſæpius. Eſt & apud Liu. lib. XXVII. *P. Cornelij Scipionis vox illa præclara, cum à circunfuſa Hiſpanorum, & ante deditorum, & pridie captorum multitudine Rex cum ingenti conſenſu appellatus, ſilentio per præconem facto, Sibi maximum nomen Imperatoris eſſe dixit, quo ſe milites ſui appellaſſent, regium nomen alibi magnũ, Romæ intolerandum eſſe: regalem animum in ſe eſſe, ſi id in hominis ingenio ampliſſimum ducerent, tacite iudicarent, vocis vſurpatione abſtinerent. hæc igitur ciuitas, quæ libera non modo regnum ac dominatum, ſed ne potentiam quidem cuiuſquã ferre æquo animo potuit, ſecum ipſa depugnans, & domeſticis opibus victa, demũ in eum ſtatum adducta eſt, vt principes tolerauerit eos, qui verbo Cæſares, & Impp. & Auguſti dicebantur, re vera pluſquam reges & erant, & habebantur; cum ipſis regibus non modo imperarent, ſed nomen etiam, & poteſtatem, atque inſignia regia impertirent. Hac de cauſa eandem ſæpe dominam vrbem appellat Ouidius, vt Tibullus lib.*II.*eleg.* V. *& Ammianus Marcellinus. æternam: alij vrbium, atque adeo totius orbis reginam dixerunt, vtpote gentium victricem ac triumphatricem, caput imperij, ſedem, ac domicilium. Horat.lib.*I.*epiſt.*VII. Mihi iam nõ regia Roma. *Mart.* XII.*epigr.*VIII. Terrarum Dea gentiumq. Roma, Cui par eſt nihil, & nihil ſecundum.

Chriſti martyrum res geſtas conſcripſiſſe.] *In illis videlicet quinque annalium libris. hoc autẽ*

memo-

memoraſſe crediderim Euſebium in ijs, quos de Martyribus edidit, commentarijs; quod opus à Trittchemio Martyrologium nominatur.

Vna fermè die.] *Rectè dictū. poſtridie enim eius diei, quo* B. *Symphoroſa necata eſt, eius filij occiſi memorantur paulo inferius, ubi narrata matris morte ac ſepultura, ſtatim ſequitur, Alia uero die, &c. In nonnullis codicibus legitur, Vna die; quæ quidem lectio recipi poteſt, ſi nihilominus illud aduerbium, fermè, pro appoſito habeatur; ſic enim alioqui ferè loqui ſolemus, etiam cum non longum ſpatium ſupra unum diem ſignificare uolumus, niſi forte primo loco diem intelligas pro die ciuili, qui* XXIIII. *horis definitur, atq. ut olim Athenienſium, ſic hodie* Ita*lorum more, & ex communi* Sanctæ *Eccleſiæ conſuetudine, à Sole occidente ad ſolem iterum occidentem (contra ac Babylonij faciunt, qui diem à ſolis ortu ad alterum ortum obſeruabant) terminatur; & quamuis noctem comprehendat, diem tamen, inquit Seruius, dicimus à parte, quam conſtat eſſe meliorem.* Ita *autem eadem die mater & filij mortui ſunt; illa quidem forſitan poſt ſolis occaſum (nam* Beda *& Equilinus, pro Alia uero die, habent, Mane autem facto) hi uero poſt ſolis exortū; ſecundo loco, Alia uero die, accipias uel pro die artificiali, qui à quibuſdam hemiſpherialis uocatur, &* XII. *horis ſemper à ſole oriente ad occidentem continetur; cuius contrarium tempus eſt nox, hoc eſt, umbra terræ, totidem horis definita, ab occaſu ſolis ad eiuſdem ortum: ſic dicimus dies noctesque laborare; uel pro ci-*

uili

uili iuxta morē & conſuetudinē ueterum Romanorum, qui poſt reperta horologia in XXIIII.*horas diē tribuerunt à media nocte ad mediam noctem, ut ſexta hora noctis perpetuo eſſet & diei antecedentis finis, & conſequentis initium; uti meridies Vmbris diem in choabat ac finiebat: quod Romanorum inſtitutum, hodieque Galli & multæ aliæ gentes ſequuntur ac ſeruant uſque adeo, ut quod ante mediam noctem geſtum ſit, id præcedenti diei tribuant, quod à media nocte, ſubſequenti diei adſcribant. Videtur etiam veriſimile Matris ac filiorum cædem factam intra* XXIIII. *horarum ſpatium; ſiue id totum vni diei, ſiue partem priori, partem poſteriori aſſignes. Vtcunque autem dicas, à veritate hiſtoriæ non recedes; quæ ſane hiſtoria ne in hac quidem temporis circunſtantia inter ſe pugnantia continere videatur, aut proba emendatam & legitimam lectionem.* Vna ferme die, *aut, ſi* ferme, *reſpuis ac tollis, tum demū, vt, quod infra ſequitur,* Alia vero die, *conſtare poſſit, hanc veterem diei diſtinctionem, quam ex Macrobio, Saturnal.lib.*I.*cap.*III.*Gell.lib.*III.*cap.*II.*Andrea Alciato, Parerg.lib.*IIII. *cap.*XI.*& lib.*X. *cap.* III.*attulimus, adhibeto.*

Inter quos B. Symphoroſam.] *Sic legitur in omnibus Martyrologijs, antiquiſque & manu ſcriptis codicibus: ſed græcæ vocis atque etymologiæ ratio Sympheroſam, vt habet plumbea Lamina, de qua ſupra in vitam S. Getulij memorauimus, ſiue Sympheruſam poſtularet: eſt enim* ἀπὸ τοῦ συμφέρειν *quod eſt, conferre. Ciuitas à Græcis condita græcis nomini-*

nominibus delectabatur. Hinc & Getulius S. Symphoroſæ vir, Zoticus quoque dictus eſt (quod viuacem, viuificum, vitalemque ſignificat) & eius filiorum nomina Nemeſius, Stacteus, Eugenius, græcæ ſunt voces.

TIBVR.

APVD Tiburtinam vrbem.] *Tibur, vrbem (vt eius antiquitatem, amœnitatem, celebritatem breuiter attingam)* XVI. *mill. ab Roma diſtantem, Cato, teſte Solino cap.* VIII. *à Catillo Arcade, præfecto claſſis Euandri conditam refert; Silius Italicus lib.* VIII. Hinc Tibur Catille, tuum. *Seruius in illud Virg.* VII. *Aeneidos,*

Tum gemini fratres Tiburtia mœnia linquunt,
Fratris Tiburti dictam cognomine gentem:
Catillusque, acerque Coras, Argiua iuuentus:

De Grecia, inquit, tres fratres venerunt ad Italiam, Catillus, Coras, Tiburtus. Hi ſimul omnes vnam fecere ciuitatem, & eam de fratris maioris nomine Tibur appellauerunt; Licet & alias fecerint ſinguli: Vnde & mons Catilli, quem Carelli dicunt per corruptionem, & ciuitas Cora. Duobus igitur fratribus ad bellum proficiſcentibus, in ciuitate ad cuſtodiam Tiburtus, ſiue Tiburnus remanſit. hæc

Seruius. Sextio autem, Græco hiſtorico, auctore (ut idem ſcribit Solinus) Catillus Amphiarai filius poſt prodigialem patris apud Thebas interitum, Oethei aui iuſſu, cum omni fetu miſſus, tres liberos in Italia procreauit, Tiburtum, Coram, Catillum, qui, depulſis ex oppido Latij veteribus Sicanis, à Tiburti maximi natu fratris nomine vrbem vocarunt. Non multo aliter Plinius ſentit, qui lib XVI. *cap.* XLIV. *Tiburtes quoque, inquit, originem multo ante vrbē Romam habent: Apud eos extant ilices tres, etiam Tiburto conditore eorum vetuſtiores, apud quas inauguratus traditur. fuiſſe autem eum tradunt filium Amphiarai, qui apud Thebas obierit vna ætate ante Iliacum bellum. Dionyſ. lib.* I. *Siculi, inquit, præter alias ciuitates condiderunt, quæ exſtant nūc quoque, Antennates, Tellenenſes, Ficulenſes, prope montes Corniculos, ac Tiburtinos, apud quos hodieque Siculetum pars vrbis dicitur: quibus verbis Tibur à Tiburto conditum, à Siculis poſtea auctum indicare videtur. Strabo lib.* V. *Iſtæ duæ vrbes, Tibur & Præneſte in montana regione ſitæ ſunt, diſtantes inuicem ſtad. C. è Roma verò bis tot Præneſte, at minus Tibur abeſt. Græcam vero vtranque eſſe cō memorāt. Horat. lib. carm.* II. *ode.* VI. Tibur Argæo poſitū colono. *id eſt, conditum à Tiburno Argiuo; ſic enim vbique pro Tiburtus, Tiburnus, legendum ex Seruij, Priſciani, Pierij, vetuſtiſſimorumque exēplarium auctoritate Lambinus & Muretus affirmant. Nos vero, qui de re, deque veritate hiſtoriæ interim laboramus, huius nominis emendationem ita*

reci-

recipimus, vt vulgatam lectionem nō improbemus; cum præſertim Tiburtes à Tiburto melius, quàm à Tiburno duci putemus. Hi autē quamuis à Strabone lib.v.& Plin.lib.III.cap.XII.in Sabinis cenſeantur; à Dionyſio tamen & Liuio pluribus locis, & ab aliis inter eos populos, quos tū veteris Latij habitatores, & Latinorum nomine inſignitos, tum fama & rerum geſtarum gloria illuſtriores fuiſſe legimus, numerantur: meminit & Ptolemæus. Latinorū porro fœdera multa cum populo Rom. ex Dionyſio Liuioque accepimus; primum Albanum, à Romulo rege ictum, ſecundum & tertium à Tullo; quo mortuo Latini cum in agrum Romanum populabundi excurriſſent, ab Anco rege, bello ad ſingulas vrbes circumlato, ad pacem petendam, & fœdus renouandum ſunt compulſi; poſt cuius obitum cum rurſus in fines Romanos excurſiones feciſſent, à L. Tarquinio Priſco rege bello domiti, pacis condiciones acceperunt. Hoc autem fœdus pòſt à Superbo rege, cum Latinorum principatum ſibi callide vendicaſſet, renouatum eſt: indictumque iunioribus Latinorum, vt ex fœdere die certa ad Lucum Ferentinæ armati frequentes adeſſent. Is Lucus ſub monte Albano erat, quò omnes Latini nominis rerum communium cauſa coibant, ibique de ſumma reip. conſultabant, ac duobus prætoribus rem vniuerſam Latinorum committebant. Quod Latinorū concilium tale erat, quale in Græcia Amphyctionum. Hoc igitur Societatis iure cum populo Rom. iuncti Latini cum eſſent, Aulo tamen Poſtumio, T. Virginio Coſſ. anno poſt reges

exactos

exactos XIIII. *poſt vrbem conditam* CCLVII. *Octauio Mamilio Tuſculano, Superbi regis genero, & Sex. Tarquinio, Latini nominis ducibus rebellaſſe traduntur; inter quos à Dionyſ. lib.* V. *cum alij, tum Tiburtini nominantur: qui vt ceteros Latinos rei bellicæ laude præcedebant, ita imperium populi Rom. moleſtius ferentes, in armis ſæpius verſabantur; ex quo Silius Italicus in quarto lib. ſic cecinit,*

Tum Remulum, atque, olim celeberrima nomina bello,
Tiburtes magnos, Hiſpellatemq. Metaurūq.
Et Damum, dubia meditatus cuſpide vulnus.

Sed cum ijs omnibus Latinis ab A. Poſtumio dictatore ad lacum Regillū (nunc S. Praxedis) in agro Tuſculano debellatum, & triennio poſt fœdus percuſſū eſt Sp. Caſſio iterū & Poſtumo Cominio iterū Coſs. auctor Liu. lib. II *& Dionyſ. ad finē lib.* VII. *cuius hæc ſunt; Eodē tempore, inquit, ictum fœdus cum omnibus Latinis ciuitatibus, de ſocietate atq. amicitia, maxime, quòd in ſeceßione plebis nihil mouerāt, eamq́ tandē in vrbem receßiſſe gratulabantur, bellūq. aduerſus deficientes ciuitates vna ſuſcepturæ videbantur. verba autem fœderis hæc fuerūt: Inter Romanos, & Latinorū ciuitates omnes æterna pax eſto, neq. ipſæ inter ſe bellanto, neque aliunde hoſtes inducunto, neque hoſtibus tutos tranſitus præbento, ſed bello oppreſſis opem omnibus viribus ferunto: ſpoliorum ac prædæ partem æqualem habento: priuatarum litium iudicia illi, quibus mandata cognitio fuerit, intra decem dies peragunto.*

E   *His*

His legibus nihil addi, demiùe poſſit, niſi ſi Romanis Latiniſque ita placuerit. Meminit huius fœderis in Corneliana Cicero, Liuius item lib. VIII. *& Feſtus. Ceterum Ouidius* VI. *Faſt. cum dicit,*

Scilicet hic olim Volſcos, Aequoſque fugatos
 Viderat in campis, Algida terra, tuis:
Vnde Suburbano clarus Tiburte triumpho,
 Vectus es in niueis, Poſtume, victor equis,

A. Poſtumium Tubertum dictatorem intelligere videtur, de quo Liu. lib. IV. *& Diod. Triumphauit autē anno vrb.* CCCXXII. *Atque hi quidem populi, niſi ſi qui priuato forte nomine, atque opibus interea bellum intuliſſent, vt Prænestini, Tuſculani, & Tiburtini ſæpe fecerunt, in amicitia populi Ro. manſerunt per annos prope cētum à pugna ad lacum Regillum, hoc eſt, vſque ad annum vrbis* CCCXLIIII. *quo anno Latini Hernicique cum deſciuiſſent, & milites ex formula per aliquot annos negaſſent, tum anno demum* CCCXCV. *C. Fabio, C. Plautio Coſſ. impetrata pace, in amicitiam redierunt. Interea vero (anno videlicet circiter* CCCXC.*) cum L. Sulpicius, & C. Licinius Caluus Coſſ. in Hernicos exercitum induxiſſent, neque inuentis in agro hoſtibus, Ferentinum vrbem eorum vi cepiſſent, reuertentibus inde eis Tiburtes portas clauſere. ea vltima fuit cauſa, cum multæ ante querimoniæ vltro citroque iactaæ eſſent, cur per fetiales rebus repetitis bellum Tiburti populo indiceretur. Cum verò Gallorum exercitus T. Manlij Torquati virtute victoriaque perculſus, proxima nocte relictis trepide caſtris,*

quæ

quæ ad tertium lapidem Salaria via trans pontem Anienis eo anno erant , in Tiburtem agrum,atque inde ſocietate belli facta, commeatuq́ue benignè ab Tiburtibus adiutus, mox in Campaniam tranſiſſet; noua fuit cauſa , cur proximo anno C. Pœtilius Balbus Coſ. aduerſus Tiburtes iuſſu populi exercitum duceret; ad quorum auxilium cum Galli ex Campania rediſſẽt,fœdæ populationes in Lauicano,Tuſculanoque, & Albano agro,haud dubie Tiburtibus ducibus,factæ ſunt. Et cum aduerſus Tiburtem hoſtem duce Coſ.contenta reſp.eſset, Gallicus tumultus dictatorem creare coegit:creatus Q.Seruilius Hala,ad continendos proprio bello Tiburtes, conſulari exercitu iuſſo manere, omnes iuniores, nullo detrectante militiam,ſacramento adegit.Pugnatum haud procul porta Collina eſt totius viribus vrbis, in conſpectu parentum, coniugumq́ue,ac liberorum,magna vtrinque edita cæde,auertitur tandem acies Gallorum;fuga Tibur,ſicut arcem belli gallici,petũt.palati haud procul Tibure excepti, egreſſis ad opem ferẽdam Tiburtibus,ſimul cum his intra portas compelluntur. Egregiè cum à Dictatore, tum ab Coſ. geſta res eſt. Pœtilius de Gallis Tiburtinſq. geminum triumphum egit.Fabio alteri Coſ.deuictis Hernicis ſatis uiſum, vt ouans vrbem iniret.Irridere Pœtilij triumphum Tiburtes; vbi enim eum ſecum acie conflixiſſe? ſpectatores paucos fugæ trepidationiſq́. Gallorum extra portas egreſſos, poſtquam in ſe quoque fieri impetum viderint,& ſine diſcrimine obuios cædi,recepiſſe ſe in vrbem: eam rem triumpho dignam viſam

Romanis. ne nimis mirum magnumque cenſerent, tumulum excire in hoſtium portis, maiorem ipſos trepidationem ante mœnia ſua viſuros. Itaque inſequenti anno M. Popilio Lenate, Cn. Manlio Coſſ. primo ſilentio noctis ab Tibure agmine infeſto profecti ad vrbem Romam venerunt. terrorem repente ex ſomno excitatis ſubita res, et nocturnus pauor præbuit; ad hoc multorum inſcitia, qui, aut vnde hoſtes adueniſſent; conclamatum tamen celeriter ad arma eſt, & portæ ſtationibus, muriqúe præſidijs firmati. & vbi prima lux mediocrem multitudinem ante mœnia, neque alium, quàm Tiburtem hoſtem oſtendit, duabus portis egreſſi Coſſ. vtrinque aciem ſubeuntium iam muros aggrediuntur; primoqúe impetu repellunt. Tum anno circiter CCCXCIX. *M. Fabius Ambuſtus* II. *& M. Popilius Lenas* II. *Coſſ. duo bella habuere; facile alterum cum Tiburtibus, quod Lenas geſſit, qui hoſte in vrbem compulſo, agros vaſtauit: inſequenti anno, nimirum quadringenteſimo, quàm Vrbs Roma condita erat, quinto triceſimo, quàm à Gallis recepta, ablato poſt nonum annũ à plebe conſulatu, patricij Coſſ. ambo ex interregno magiſtratum iniere, C. Sulpicius Peticus tertiũ, M. Valerius Publicola. Empulũ eo anno ex Tiburtibus haud memorando certamine captum; ſiue duorum conſulum auſpicio bellum id geſtum eſt, vt ſcripſere quidam, ſeu per idem tempus Tarquinienſiũ quoque ſunt vaſtati agri ab Sulpicio Coſ. quo Valerius aduerſus Tiburtes legiones duxit: poſtero anno rurſus cum Tiburtibus ad deditionẽ pugnatum. Saſſula ex*

his

his vrbs capta, ceteraque oppida eandem fortunam habuiſſent, ni vniuerſa gens poſitis armis in fidem Conſulis veniſſet. triumphatum de Tiburtibus: alioquin mitis victoria fuit. hæc Liuius lib. VII. *vbi item Latinos, quibus anno* CCCXCV. *pax petentibus data fuerat, & magna vis militum ab iis ex fœdere vetuſto, quod multis intermiſerant annis, accepta, non diu in fide manſiſſe oſtendit. Nam anno* CCCCIII. *concilia, inquit, populorum Latinorum ad Lucum Ferentinæ habita; reſponſumque haud ambiguum imperantibus milites Romanis datum; abſiſterent imperare iis, quorum auxilio egerent: Latinos pro ſua libertate potius, quàm pro alieno imperio laturos arma. Itaque nono poſt anno, cum eò ſuperbiæ & impudentiæ deueniſſent, vt eorum prætores Romam à conſulibus euocati alterum ex Latio creari Romæ cõſulem oportere reſponderint, bellum Romanum in ſe concitarunt; quo bello in Campania nõ procul radicibus Veſuuij montis, quà via ad Veſerim ferebat, victi ſunt, T. Manlio Torquato, & P. Decio, qui ſe in acie deuouit, conſulibus; adeòq. acciſæ eorũ res ſunt, vt, quod idem Liuius* VIII. *libro ſcriptũ reliquit, conſuli Torquato victorem exercitũ ad populandos agros eorũ ducenti, dederent ſe omnes Latini; deditionemq. eam Campani ſequerentur. Latium Capuaq. agro multati. Extra pœnã fuere Latinorũ Laurentes, Campanorumq. equites: quia non deſciuerant. cũ Laurentibus renouari fœdus iuſſum: renouaturq. ex eo quotannis poſt diem decimũ Latinarũ. Hi rurſum anno inſequenti ob irã amiſſi agri*

 rebel-

rebllātes fuſi, caſtriſq. exuti ſunt. Pedanos tuebatur Tiburs, Præneſtinus, Veliternuſq́. populus. Sed Furius Camillus Coſ. poſtero anno ad Pedū cū Tiburtibus maxime ualido exercitu, maiore mole, quanquā æque proſpero euentu pugnauit, & oppidum cepit. Placuit inde iam maiore conatu animoq́ue ab vnius expugnatione vrbis ad perdomandum Latium victorem cicumducere exercitum; nec quieuere ante, quàm expugnando, aut in deditionē accipiēdo ſingulas vrbes, Latium omne ſubegere. Eidem Camillo in ſenatu de Latinis populis referenti reſponſum, cum aliorum alia cauſa eſſet, ita expediri poſſe conſilium, vt pro merito cuiuſq. ſtatueretur, ſi de ſingūlis nominatim referrent populis. Relatum igitur de ſingulis, decretumq́ue. Lanuuinis ciuitas data; Aricini, Nomentanque, & Pedani eodem iure, quo Lanuuini, in ciuitatem accepti. Tuſculanis ſeruata ciuitas, quam habebant; crimenq́ue rebellionis à publica fraude in paucos auctores verſum. In Veliternos, veteres ciues Rom. quòd toties rebellaſſent grauiter ſæuitum; & muri deiecti, & ſenatus inde abductus; iuſſiq́ue trans Tiberim habitare. Antium noua colonia miſsa, interdictumq́ue mari Antiati populo eſt, & ciuitas data. Hæ ſiquidem duæ Volſcorū ciuitates huic bello interfuerūt. Tirbutes, Præneſtiniq́ue agro multati, neque ob recens tātum rebellionis commune cum alijs Latinis crimen, ſed quòd tædio imperij Rom. cum Gallis, gente efferata, arma quondam conſociaſsent. Ceteris Latinis populis connubia, commerciaq́ue, & cōſilia inter ſe

ademe-

ademerunt. Hæc ex Liu. lib. VIII. Ex hoc tẽpore pacem à Latinis in perpetuum ſanctiſſimè cuſtoditam conſtat; & vetuſtum fœdus à Caſſio Coſ. cum ipſis ictum, aut per idem tẽpus, aut non multo poſt, recuperatũ. Eos enim fœderatos eo fœdere, quod cũ Latinis populis omnibus Sp. Caſſio, Poſtumo Cominio Coſſ. percuſſũ eſt, Cicero, qui trecentis poſt annis, & eo amplius floruit, in Balbi defenſione appellat. Is autẽ Caſſius Coſ. tertium apud Dionyſiũ in cõcione gloriatur, ſe in primo conſulatu Sabinos ſubegiſſe, in ſecundo plebem in vrbem reduxiſſe, Latinoſque Romanorum conſanguineos illos quidem, ſed gloriæ tamen eorum inuidentes, ad amicitiam adduxiſſe, atq. æquo iure ciuitatis donaſſe, vt Romam non amplius aduerſariam, ſed patriam appellarent. Ciuitatem tamen neque omnino cum ſuffragio, neque penitus ſine ſuffragij iure, ſed pro magiſtratuũ arbitrio datã idem Dionyſius docet. Atq. hoc ſæpius factum eſt, vt Latini ante bellum Italicum legemque Iuliam, ad ſuffragia ſint acciti, vt etiam anno vrbis DXLI. in bello Punico ſecundo Q. Fuluio Flacco tertium, Appio Claudio Coſſ. contigiſſe ex Liu. libro XXV. intelligitur. Cum enim, ut prudenter Sigonius colligit, conſulum arbitratu Latini, qui ſuffragiorum cauſa venerant, aliàs aut in vrbe retinerentur, aut exire iuberentur, tum tamen eos veriſimile eſt ad ſuffragium ferendũ maxime à conſulibus adhibitos eſſe, vt grauiſſimis et periculoſiſſimis Punici belli temporibus, in magna totius pœnè Italiæ defectione latinũ nomẽ hoc honoris beneficio ſibi arctius deuincirent. Hoc

Cicero ius in Seſtiana intuebatur, cum diceret, Nihil acerbius ſocij Latini ferre ſoliti ſunt, quàm id, quod perraro accidit, ex vrbe exire à conſulibus iuberi. Extremum ius (vt idem notauit Sigonius) fuit magiſtratuum Romæ petendorum & capiendorum, quod tanti erat, vt hoc vnũ Latij ius vocaretur; cũ qui hoc haberet, reliqua omnia haberet. Quapropter Aſconius in Cic. Piſonianã ius Latij fuiſſe ſcribit, ut petẽdi magiſtratus gratia ciuitatem Ro. adipiſcerentur. id vero nihil aliud videtur eſſe, quàm, vt, qui ius Latij haberent, præter cetera, ciuitatẽ quoq. Romanam aſſequerentur; vbi apud Latinos magiſtratũ petiſſent, vel potius geſſiſſent. hanc enim vim habuit Ius Latij, quod etiã Latinitas appellatur. Strabo denique lib. IV. *magiſtratus hos ædilitatem et quæſturam fuiſſe ſignificat, cum ſcribit Neumaſum Aricomiſcorum metropolim in Gallia ius Latij habere, vt qui Neumaſi ædilitatem & quæſturam geſſiſſent, ij ciues Rom. eſſent: eaque de cauſa populum illum Romanis prætoribus non paruiſſe. Ex quibus ſane verbis illud non obſcure perſpicitur, Ius Latij fuiße, vt qui in oppido latino, vel iure Latij donato ædilitatem aut quæſturam obiſſet, is ciuis Romanus eſſet, tum latinos ipſos ne magiſtratum quidem Romanorum, ſed ſuorum prætorum edictis obtemperaſſe. Hoc vero ius vſque ad annum* DCLXIV. *Latini populi vſurparũt: quo demum anno ciuitas Latio vniuerſo (extra pauca quædam oppida, quibus ciuitatis & ſuffragij iura ſingulari populi Rom. benignitate fuerant ante conceſſa) ex*

lege Iulia data eſt. Cũ enim Latinos,& ceteros Italicos populos cupiditate ciuitatis Romanæ adipiſcendæ primum M. Fuluius Flaccus conſul, deinde M. Liuius Druſus Trib. plebis incendiſſent, & omnino aduerſante Senatu, diu multumque ſed fruſtra laboraſſent; Italici tanta ſpe bis deiecti, facta inter populos coitione, aduerſus populum Rom. conſpirarunt, atque ab eo tandem defecerunt. Hi fuere Picentes, Veſtini, Marſi, Peligni, Marrucini, Lucani, & Samnites, belli initio à Marſis orto. Qua de cauſa populus Rom. ſaga ſumpſit; & bellum aduerſus Italicos iuſſit. Hoc bellũ Sociale, quòd à ſocijs Pop. Rom. Italicum, quòd ab Italicis populis; & Marſicum, quòd à Marſis primum commotum fuerit, appellatum eſt. In quo (vt Appianus de ciuil. Rom. bell. lib. 1. ſcriptum reliquit) cum poſt multas ab Italicis illatas clades, & alterum conſulem P. Rutilium Lupum in prælio interfectum III. Idus Iun. vt in Faſt. docet. Ouid. Etruſci, & Vmbri, qui adhuc in fide permanſerãt, eandẽ ob cauſam defectionẽ molirẽtur, Senatus veritus, ne hoſtibus vndiq. ingruẽtibus, vrbẽ tueri nõ poſſet, lege à Lupi collega L. Iulio Cæſare conſule extremo conſulatu lata, quæ Iulia dicta eſt, omnibus Italicis populis, qui vel arma contra Pop. Ro. nõ ſumpſiſſẽt, vel ſumpta depoſuiſſent, ciuitatem dedit: qua lege Etruſci Vmbri, et multæ aliæ Italiæ nationes ciuitatẽ Ro. quã tãtopere efflagitauerãt, ſunt conſecutæ. Appianus Tiburtinos et Præneſtinos, quæ fœderatæ ciuitates in Latio erãt, vt paulo poſt docebimus, tum ciuitate donatos diſerte ſcribit

lib.

lib. 1. de bell. ciuil. Cinna, inquit, ad finitimas vrbes fuga delabitur, quas haud ita multo ante Romani ciuitate donauerant, Tibur ſcilicet, ac Præneſte, & quæ ad Nolam vſque mediæ interiacent. Quare triginta quinque antiquis additæ ſunt octo tribus, in quas noui ciues coniecti ſunt anno inſequenti à L. Iulio Cæſare legiſlatore, et P. Licinio Craſſo M. Craſſi diuitis patre, cenſoribus; quorum munus erat, tribus adijcere, vt in eas noui ciues luſtri tempore referrentur, diſtribuerentur, cenſerentur, quod ſupremum erat ciuitatis acceptæ ſignum. hæc ex Cic. pro Balbo & Flori epito. lib. LXXI. & LXXII. Appian. Plut. Strab. Vell. Pediano, Gellio lib. IIII. alijſq; auctoribus. Iam vero ante bellum Italicũ, & ciuitatẽ Rom. acceptam, omnia non latij ſolum, ſed etiam Italiæ oppida alicuius iuris nomine ac ſocietate cum Pop. Rom. deuincta erant: & alia coloniæ, alia municipia, alia præfecturæ, alia denique ciuitates fœderatæ dicebantur. Fœderatam porro ciuitatem (vt accurate Sigonius obſeruauit) nullum aliud ius habuiße intelligimus, quàm ſocietatis & fœderis; Fœderata oppida in Italia fuiße aut Latij fœdere obſtricta, aut Italico, aut Gallico; Latij, vt Tibur ac Præneſte; Italico, vt Neapolim, Veliam, & Heracleam; Gallico, vt Rauennam. Hæc oppida neque colonias fuiße, neque municipia, neque præfecturas, ſed fœderata oppida, vel fœderatas ciuitates; Oppidorum iure Latij aut Italico fœderatorum, vt libertatem maiorẽ, ſic dignitatem ampliorem extitiße. Minus enim, quàm Gallica, fuiſſe obnoxia, & minorem Populi Rom. rationem

tionem

tionem duxiſſe; cum & ſuam remp. & leges ſuas, & ſuos magiſtratus haberent. Vnde Senatus, populiq. in ijs oppidis, ut in liberis ciuitatibus, nomen ac mẽtionem vſurpari apud ſcriptores videmus. Animaduertimus etiam in ciuitates fœderatas exilij cauſa commigrare ciuibus Romanis licuiſſe, vt quæ liberæ eſſent, ac ſuam Remp. in poteſtate haberent. Quod cum permulta exempla exulum Romanorum teſtãtur, tum maxime Polybius libro ſexto demonſtrat, vbi forma Romanæ explicãs Reip. ſcribit, Tibur, Prænẽſte, Neapolim, vt in liberas ciuitates, ciues Romanos exilij cauſa ſolum vertere ſolitos. Ad hunc morem reſpexit Ouid. cum lib. VI. *Faſt. de tibicinibus, qui ex vrbe Tibur abierant, loquens, dixit,*

Exilio mutant vrbem, Tiburq; recedunt
(Exilium quodam tempore Tibur erat)
Seruierat quidam quantolibet ordine dignus
Tibure, ſed longo tempore liber erat.

Et I. *de Ponto Elegia* V. *Exilium ſuum acerbius eſſe, quàm vllius vnquam ante ſe fuerit, conquerẽs, exulum externorum commemoratis exemplis, ad extremum ait,*

Quid referam veteres Romanæ gẽtis, apud quos
Exulibus tellus vltima Tibur erat?
Perſequar vt cunctos, nulli datus omnibus æuis
Tam procul à patria eſt, horridiorue locus.

Quamquam exules Romani non in oppida fœderata ſolùm abibant, ſed ſæpe in colonias quoque Latinas, hoc eſt, Latij iure donatas; vt quæ longius à

ciuiũ Romanorũ iure abeſſent, quàm Romanæ. Hinc illud Ciceronis eſt pro Cæcina, In colonias Latinas ſæpe noſtri ciues aut ſua voluntate, aut legis multa profecti ſunt: quam multam ſi ſufferre voluiſſent, tamen manere in ciuitate potuiſſent. Caruiſſe autem fœderata oppida omnia iure ciuitatis Romanæ, multi ex fœderatis ciuitatibus nominatim ciuitate donati oſtendunt. Teſtis eſt in Balbi defenſione Cicero, vbi multa colligit exempla, & præter cetera illud; Cum Latinis, inquit, omnibus fœdus ictum Sp. Caſſio, Poſtumio Cominio Coſs. quis ignorat? quod quidem nuper in columna ænea meminimus poſt roſtra inciſum, & perſcriptum fuiſſe; quomodo igitur L. Coſſinius Tiburs, pater huius equitis Rom. optimi atque ornatiſſimi viri, damnato Cælio, quomodo ex eadem ciuitate T. Coponius, ciuis item ſumma virtute & dignitate (nepotes T. & C. Coponios noſtis) damnato C. Maſſone, ciuis Rom. eſt factus? Ceterum fœderatarum ciuitatum aliquanto vberiorem, quàm aliorum oppidorum numerum exſtitiſſe conſtabit ei, qui colonias, municipia, & præfecturas, quæ apud veteres rerum Rom. ſcriptores nominantur, cum reliquorum omnium Italiæ oppidorum numero conferre voluerit. Hic Latij ſtatus erat ex fœdere Caſsiano, cùm anno ab vrbe condita CCCCXXXVII. id Tibure accidit, quod libro IX. Liuius ſcribit, Eiuſdem, inquit, anni rem dictu paruam præterirem, ni ad religionem viſa eſſet pertinere. Tibicines, quia prohibiti à proximis cenſoribus erant in æde Iouis veſci

quod traditum antiquitus erat, ægrè paſsi, Tibur vno agmine abierunt; adeo, vt nemo in vrbe eſset, qui ſacrificijs præcineret. Eius rei religio tenuit Senatum: legatoſque Tibur miſerunt, vt darent operam, vt hi homines Romanis reſtituerentur. Tiburtini benignè polliciti, primum accitos eos in curiam, hortati ſunt, vt reuerterentur Romã: poſtquam perpelli nequibant, conſilio haud abhorrente ab ingenijs hominum, eos aggrediuntur. Die feſto alij alios per ſpeciem celebrandarũ cantu epularum cauſa inuitant: & vino, cuius auidum ferme genus eſt, oneratos ſopiunt: atque ita in plauſtra sõno victos conijciunt, ac Romam deportant: nec prius ſenſere, quàm plauſtris in foro relictis plenos crapulæ eos lux oppreſſit. Tũc cõcurſus populi factus, impetratoq́. vt manerent, datũ, ut triduum quotannis ornati cum cantu, atq. hac, quæ nunc ſollẽnis eſt, licentia per vrbẽ vagarẽtur: reſtitutũq. in æde veſcẽdi ius ijs, qui ſacris præcinerent. Hanc rem Valerius etiã narrat lib. II. cap. I. de Inſtitutis antiquis de Tibiciniũ Collegio, et Ouid. li. VI. Faſt. meminit et Plut. in Probl. M. Ant. conſul ſolus poſt C. Cæſ. cædẽ, cum ex quatuor legionibus eas, quæ Martia et Quarta appellabãtur, ad C. Cæſ. Octauiũ ab ſe tranſiiſse Romæ cognouiſset, Albã, vbi Martia conſederat profectus eſt, vt eã ad ſuã reuocaret auctoritatẽ; ſed excluſus vrbe, & reiectus à muris retroceſſit, & ad reliquas legiones miſit, quingentas drachmas vnicuiq. dare pollicitus. Ipſe cũ ijs, qui aderant, Tibur vſq. progreditur, apparatũ habẽs ijs, q in hoſtes tedunt, cõſuetũ.

*Eo in loco aſſiſtenti ſenatus fere omnis, ac plurimi equitum cum honore acceſſere, ex populo quoque pars non contemnenda,&c. Appian.lib.*III.*de ciuilibus Rom.bellis:qui item lib.*V.*Cæſari Octauio pecuniæ,inquit,aderant,quas ab omnibus acceperat atq. expugnarat,Sardis exceptis, & quas mutuo ex ſacris,retributionis gratiam pollicitus,aſſumpſerat,Romæ à Capitolio, ab Antoniano Libanubio à Nemis ac Tibure;quibus in locis theſauri nunc vel maxime ſacrarum pecuniarum adſeruantur copioſiſſimi.*

Hactenus de Tiburis antiquitate, ac nobilitate; ſequitur ut eiuſdem amœnitatem,veterum poetarum, aliorumq́ue teſtimonijs demonſtremus. Tiburtinæ igitur regionis amœnitas tanta olim fuit (vti nunc etiã eſt) vt blãdæ voluptatis in primis ſtudioſus Horatius lib.carm. I.*ode.*VII.*eam nobiliſſimis quibuſq́. Græciæ ciuitatibus anteponat:*

Me nec tam patiens Lacedæmon,
Nec tam Lariſſæ percuſſit campus opimæ,
Quàm domus Albuneæ reſonantis,
Et præceps Anio,& Tiburti(*aliàs Tiburni*)lucus, & vda
Mobilibus pomaria riuis.

Et lib. II.*ode.*VI.*eam ſuæ optat ſedem ſenectuti.*

Tibur Argaeo poſitum colono,
Sit meæ ſedes vtinam ſenectæ:
Sit modus laſſo maris,& viarum, Militiæque.

Ex quo intelligere poſſumus magno in pretio atque honore fuiſſe prædia Tiburtina; Vnde mirum non eſt,quòd Catullus ſuũ alloquens fundũ, dixerit,

O funde

O ſunde noſter ſeu Sabine, ſeu Tibursː
Nam te eſſe Tiburtem autumnant, quibus non eſt
Cordi Catullum lædere; at quibus cordi eſt,
Quouis Sabinum pignore eſſe contendunt,
Sed ſeu Sabine, ſeu Tiburs,
Fui libenter in tua ſuburbana
Villa, malamq́ue pectore expulſi tuſſim.

*Profitetur ergo Catullus fundum ſuũ ab ijs, qui ſibi rem gratam facere velint, Tiburtem, ab alijs Sabinum vocari; cum videlicet ad fundi dignitatem pertinere ex'ſtimet, vt Tiburs potius, quàm Sabinus dicatur. Vtrius autẽ regionis eſſet is fundus, propterea ambigebatur, quòd in vtriuſq. ſitus erat confinio: vel quia, vt ſupra demonſtrauimus, cum Anio Latinos à Sabinis diuideret, neceſſe fuit, vt ager Tiburtinus partim in Latio, partim in Sabinia eſſet; vtraque vero pars Tiburs erat. Fundus itaque Catulli, quòd in regione Sabina eſſet, Sabinus; quòd agri Tiburtini pars foret, Tiburs recte poterat nominari: id quod poetæ magis placebat. Ad amœnitatẽ, delicias, ſitum pertinent varia epitheta, quibus Poetæ vrbem, regionemùe Tiburtem exornant. Nam Horatius carm.*III.*ode.*IIII. *Liquidas Baias, Sabinos arduos frigidum Præneſte, Tibur.*

Supinum dixit, id eſt, vt Acroni placet, montoſum: ſicut Virg II.*Georg. colleſq́ue ſupinos. ſitum autem ciuitatis deſcripſit quia in aſcenſu montis eſt conſtituta. ea de cauſa Iuuenalis Sat.*III.

Pronum *vocat*, Simplicibus Gabijs, aut pro-

ni Tiburis arce. *Eſt enim hæc vrbs partim in iugo, partim in dorſo, atque in decliui poſita loco, propterea idem Sat.*XIIII.

-Summa nunc Tiburis arce, *dixit; Eſt enim arx (vt ait Aſconius) editus in ciuitate, & munitus ad ſalutem omnium locus, dictuſque, vti Varro vult, ab arcendo, quòd ab eo loco facillime poſſit arceri hoſtis. Sed hic de villa loquens* arcem *Iuuenalis dixit pro monte, ſeu colle: nam villa extra vrbem eſt, non in vrbe. Ita Vir.*I.*Geor.*

Mundus vt ad Scythiã, riphæaſq. arduus arces
Conſurgit. -- *&* II.*Georg. de Roma.*
Septemq. vna ſibi muro circundedit arces.

Inter illas quinque magnas Latij urbes, quas arma ſumpſiſſe aduerſus Troianos Virg. in VII. *Aeneid. refert, Tibur*

Superbum *nominat, hoc eſt, nobile, inquit Seruius; aut obiter tetigit illud, quod aliquando, cum à Senatu Rom. auxilia poſcerent Tiburtes ſub commemoratione beneficiorum, hoc tantum à Senatu reſponſum acceperunt, Superbi eſtis. Horatius rurſus*

Vdum *lib. carm.* III. *ode.* XXIX.

Ne ſemper (*ait*) vdum Tibur, & Eſulæ
Decliue contempleris aruum.

Et Ouid. IV. *Faſt.*

Etiam Telegoni iam mænia Tiburis vdi
Stabant, Argolicæ quæ poſuere manus.

Vdum, ob aquarum copiam, quibus eius ſuburbana prædia irrigantur. Vnde eiuſdem illa ſunt I. *Carm. Ode* VII.

Et

Et præceps Anio,& Tiburti lucus,& vda
Mobilibus pomaria riuis.

Et appoſitè mobiles riuos dicit;deriuantur enim, ducunturque in varias partes pro arbitrio & voluntate oppidanorum.

Sic Vuidum *lib.*IIII.*od.*II.

— vuidiq́ue Tiburis ripas.

Sic etiam auctor obſcæni carminis,

Humidum;
Tutela Rhodos eſt beata ſolis;
Gades Herculis,humidumq́ue Tibur.

Herculeum, *Martialis lib.*I.*epigr.*XIII.

Itur ad Herculei gelidas qua Tiburis arces,
Canaq́ue ſulphureis Albula fumat aquis.

*Et epigram.*CXLII.

Tibur in Herculeum migrauit nigra Lycoris.

*Et lib.*VII.*epigr.* XII.

Venit in Herculeos colles.—

*Et Strabo lib.*V.*Tibur Herculeum eſt,&c.*

*Ita appellatur Tibur, utpote Herculi ſacrũ,quem Tiburtes ſtudioſe colebant, exſtructo in eius honorem magnifico templo. Quæ quidem res eam urbem adeo nobilitauit, ut antiquiſſimus auctor (quem Plin.lib.*V.*epiſt.* III.*nominat) Cn. Lentulus Getulicus aſsentandi cauſa ſcripſerit C. Cæſarem Caligulã Tiburi genitum ſed Getulicũ Plinius Secundus refellit,quaſi mentiũ per adulationem, ut ad laudes iuuenis glorioſiq́ue principis,aliquid etiam ex urbe Herculi ſacra ſumeret, abuſumq́ue audentius mendacio, quòd ante annum ferè natus Germanico filius*

Tiburi fuerat, appellatus & ipſe C. Cæſar. hæc Suet. in Calig. cap. VIII. *Tiburtem Bibliothecam, quæ in hoc Herculis templo ſatis commode inſtructa libris erat, Aulus Gell. lib.* IX. *cap.* IIII. *& lib.* XIX. *cap.* V. *memorat. Et quidem ad librorum cuſtodiam atque æternitatem nullum veteres illi locum ferè aptiorem duxerunt, quàm Deorum delubra. Hinc Auguſtus, vt Suet. cap.* XXIX. *teſtatur, templo Apollinis in ea parte Palatinæ domus, quam fulmine ictam deſiderari à Deo aruſpices pronuntiauerant, excitato, porticum addidit cum bibliotheca Latina, Græcaque, quam ab auctore, Auguſti, à loco, Apollinis ſeu templi Apollinis, vel Auguſti, appellatam videmus. Plin lib.* XXXIV. *cap.* VII. *qui ab Aſinio Pollione collectam ſignificat lib.* VII. *cap.* XXX. *M. Varronis inquit, in bibliotheca, quæ prima in vrbe ab Aſinio Pollione de manubijs publicata Romæ eſt, vnius viuentis poſita imago eſt: Et lib.* XXXV. *cap.* II. *Aſinij Pollionis hoc Romæ inuentũ* (ponendorũ in bibliothecis ſignorũ, & imaginũ, doctorum hominũ, illuſtriumue ſcriptorũ) *qui primus bibliothecam dicando, ingenia hominum rempublicam fecit. An priores cœperint Alexandriæ, & Pergami reges, qui bibliothecas magno certamine, inſtituere, non facile dixerim. Hac item de re Gellius in poſtremo cap. ſexti libri ſic ſcribit; Libros Athenis diſciplinarum liberalium publice ad legendum præbendos primus poſuiſſe dicitur Piſiſtratus tyrannus, deinde ſtudioſius accuratiuſque ipſi Athenienſes auxerunt. Sed omnem illam poſtea librorum copiam Xerxes,*

Athe-

Athenarum potitus, vrbe ipſa præter arcem incenſa, abſtulit aſportauitq́ in Perſas. Hos porro libros vniuerſos, multis poſt tempeſtatibus, Seleucus rex, qui Nicanor appellatus eſt, referendos Athenas curauit. Ingens poſtea numerus librorum in Aegypto à Ptolemæis regibus vel conquiſitus, vel confectus eſt, ad millia fermè uoluminũ ſeptingenta. Sed ea omnia bello priore Alexandrino, dum diripitur ea ciuitas, non ſponte neque opera conſulta, ſed à militibus forte auxiliarijs incenſa ſunt. Idem lib. XI. cap. XVII. Edicta, inquit, veterum prætorum, ſedentibus forte nobis in bibliotheca templi Traiani, & aliud quid requirentibus, cum in manus incidiſſent, legere atque cognoſcere libitum eſt. hoc templum in foro Traiani creditur extitiſſe. In Iunonis Iouiſq́. Panellenij templo, quod Hadrianus Imp. Atheniẽſibus præter cetera opera ædificauit, bibliothecam fuiße & gymnaſium, Hadriani cognomento, Pauſanias. I. lib. eſt auctor. Quanquam in Thermis quoque Diocletianis bibliothecam Vlpiam fuiſſe, in qua libri lintei atque elephantini res geſtas Principum, & Senatuſconſulta continentes, aſſeruabantur, Flauius Vopiſcus affirmat in vitis Imperatorum, Aureliani ſæpius, Linteos etiam, inquit, libros requiras, quos Vlpia tibi bibliotheca, cum volueris, miniſtrabit; Numeriani item, & Probi; Vſus ſum, inquit, præcipuæ libris ex bibliotheca Vlpia ætate mea in Thermis Diocletianis: & Taciti, Habet, inquit, bibliotheca Vlpia in armario ſexto librum Elephantinum, in quo hoc S. C. perſcriptum eſt:

cui Tacitus ipſe manu ſua ſubſcripſit. Nam diu hæc Senatuſconſulta, quæ ad principes pertinebant, in libris Elephantinis, ſcribebantur. Erant ij libri ex pellibus elephantinis ad diuturnitatem confecti. Dion deniquè igni diuinitus potius, quàm ab homine Romæ excitato, cum alia publica ædificia, tum Octauiæ domum cum bibliotheca conflagraſse teſtatur. Hunc autem morem Chriſtiani libenter imitati ſunt, cum bibliothecas prope ſacras ædes ferè conſtituerunt. Nam Romæ Vaticanam, ad D. Petri, quam multo ante inſtitutam, deinda neglectam Zacharias primus Pont. max. reſtituit; Lateranenſem & quidem duplicem, ad Lateranum, quam Hilarius ſiue (ut Panuinus legendum oſtendit) Hilarus ſummus Pont. fecit; Venetijs Marcianam, ad D. Marci; Florentiæ Mediceam, ad D. Laurentij; Cæſenæ Malateſtanã, ad D. Franciſci templum collocatam uidemus: ut de multis alijs taceam, quæ tam in Italia, quàm extra, olim in antiquis cœnobijs conſtructæ, ad noſtram vſque celebrantur ætatem. Hunc porro Herculis cultum & religionem apud Tiburtes cum ipſa vrbe ferme natum intelliget, qui priſca illa tempora ex veterum ſcriptorum monumentis conſiderabit. Nam ea tempeſtate Herculem ex vltima Hiſpania, Geryone interempto, redeuntem, in eam Latij partem, vbi poſt annos prope quadringentos Roma ædificata eſt, boues mira ſpecie abegiſſe memorant; & poſt Caci eius loci accolæ, qui partem boum auerterat, cædem, cognitum & cum veneratione acceptum ab Euandro fuiſſe. Euander tum ea (ait Li-

uius lib. I. *) profugus ex Peloponneſo*(hæc Græcia eſt intra Iſthmũ, nũc Moræa vulgo dicta) *auctoritate magis, quàm imperio regebat loca; venerabilis vir miraculo litterarum, rei nouæ inter rudes artium homines, venerabilior diuinitate credita Carmentæ matris, quam fatiloquam ante Sibyllæ in Italiam aduentum miratæ hæc gentes fuerant. Is tum Euander(teſtibus Virgilio lib.*VIII.*Aeneid. Dionyſ. lib.*I.*Solino cap.*II.*) Herculi aram condidit & dicauit, & ſacra inſtituit, quæ poſtea Romulus, poſteriq. Romani Græco ritu fecerunt. Exiſtimare itaque licet Catillum Tiburis (vt Catoni & Silio Italico placet)conditorem, hominem Græcum ex Arcadia Peloponneſi mediterranea regione, qui Euãdri præfuerat claſſi, Herculis Thebis in Græcia nati recenti per Latium fama, & Euandri exemplo atque auctoritate commotum, ea tum ſacra cultumque ſuſcepiſſe: & poſteros templum optimo vrbis loco ædificaſſe cum porticu, vel potius porticibus, quarum adhuc aliquot ingentes columnæ viſuntur, in anteriorem partem receptæ primarij templi, quod olim pulſo dæmonum cultu, & Chriſti fide ſuſcepta, Tiburtes* D.Laurentio *martyri piè ac ſanctè dicarũt; eumque ſibi patronum adoptarunt, hanc opinor ob cauſam; quòd huius ſanctiſſimi martyris per ea tempora nomen vbique terrarum quidem, ſed Romæ præcipue, quam ſua glorioſa morte illuſtrauit, celeberrimum fuit: ita ſacra oſſa & venerandæ reliquiæ extra portam Exquilinam in agro Verano via Tiburtina recõditæ, Tiburtinum nomen cohoneſtant, et*

ad Tiburtinum etiam populum videntur quodammo do pertinere. Ceterum apud antiquos Tiburtes Iunonem quoque in honore fuiſſe, refert Ouid. qui in VI. *Faſt. illam ſic loquentem inducit,*

Inſpice quos habeat nemoralis Aricia faſtos,
 Et populus Laurens, Lauiniumque meum.
Eſt illic menſis Iunonius; aſpice Tibur,
 Et Præneſtinæ mœnia ſacra Deæ.
Iunonale leges tempus: --

Redeo ad epitheta;

Gelidum *Tibur Martialis lib.* I. *epigram.* CXLV.
Centeno gelidum ligone Tibur.

Hybernum. *Idem lib.* V. *Epig.* CXIII.
Longas his exige meſſes
Collibus, hybernum iam tibi Tibur erit.

Propter iucundum frigus, quo æſtiui calores temperantur: qua etiam de cauſa primarij & illuſtres viri ad declinandam æſtatis moleſtiam bodieq. ſolent eò ex vrbe libenter ſecedere.

Glaciale. *Statius* I. *Siluarum*
Cernere facundi Tibur glaciale Vopiſci.

Dulce, *Martialis lib.* X. *epigr.* XXX. *de littore Formiano,*
Non ille ſanctæ dulce Tibur vxoris,
Nec Tuſculanos Algidoſue ſeceſſus,
Præneſte nec ſic, Antiumue miratur.

Vacuum, *Horat. lib.* I. *Epiſt.* VII.
Paruum parua decent, mihi iã non regia Roma,
Sed vacuum Tibur placet; aut imbelle Tarentum.

Vacuum

Vacuum autem, vt in II. *lib. epiſt.* I.
Ingenium, ſibi quod vacuas deſumpſit Athenas:
Et ſtudijs annos ſeptem dedit, inſenuitque
Libris, & curis. --

Tranquillam & quietam ciuitatem ſignificat, atque à negotijs alienam, & otio deditam.

Altum, *Martial. lib.* VII. *epigr.* XII. *vtpote in monte ſeu colle poſitum.*

Dum Tiburtinis albeſcere collibus audit
Antiqui dentis fuſca Lycoris ebur:
Venit in Herculeos colles. quid Tiburis alti
Aura valet? paruo tempore nigra redit.

Erat autem fama, & vulgaris opinio, ebur Tiburtino cælo ex vetuſtate renouari, & in priſtinũ candorem reſtitui. Idem lib. I. *epigr.* CXLII.

Tibur in Herculeum migrauit nigra Lycoris,
Omnia dum fieri candida credit ibi.

Et lib. VIII. *epigr.* XXVIII.

Lilia tu vincis, nec adhuc dilapſa liguſtra,
Et, Tiburtino monte quod albet, ebur.

Pomoſum, *Columella Tibur vocauit lib.* XI. *de cultu hortorum, id eſt, pomis abundans.*

Et Turni Lacus, & pomoſi Tiburis arua.

Habet enim frequẽtia pomaria, Anienis irrigata riuis. eorum præſtantiam pomorum oſtendit Horatius lib. II. *Serm ſat.* IV.

Picenis cedunt pomis Tiburtia ſucco:
Nam facie præſtant --

Fertile, *idem Horat.* IIII. *carm. ode.* III.

Sed quæ Tibur aquæ fertile perfluunt.

Fertilitatem indicat Strabo lib. v. *Tibur, inquit, Herculeum eſt, & cataracta (id eſt deſcenſus) quã facit Anio, vbi nauigabilis eſſe incipit, cum è ſublimi in profundam vallem præceps, & per nemora vrbi ipſi vicina defertur. Hoc ex loco mira eſt fructuum abundantia, præter lapidis effoſſiones, qui Tiburtinus dicitur, & alterius Gabiorum, & eius, qui Rubeus appellatur, adeo vt eorum ex metallis exportatio & ſubuectio facillima fiat ad plurima opera Romæ conficienda. In hac planitie Anio fluit, & quæ nuncupantur Albulæ aquæ, frigidæ multis è fontibus ſurgentes, ad varios morbos ſalutares, cum potui, tum inſeſſionibus admiſſæ. De ijs aquis Plin. etiam lib.* XXXI. *cap.* II. *Iuxta Romam Albulæ aquæ vulneribus medentur: egelidæ hæ, ſed Cutiliæ in Sabinis gelidiſſimæ, ſuctu quodam corpora inuadunt, vt prope morſus videri poſſit, aptiſſimæ ſtomacho, neruis, vniuerſo corpori. Et Martialis lib.* IIII. *Epigr.* IIII.

Quod ſiccæ redolet palus lacunæ,
Crudarum nebulæ quod Albularum.

Idem Poeta ſingulari numero dixit lib. I. *Epigr.* XIII.

Canaque ſulphureis Albula fumat aquis.

Et Statius I. *Siluar.* III.

Illic ſulphureos cupit Albula mergere crines.

Aliàs enim Albula nomen priſcum Tiberis amnis fuit. Virg. VIII. *Aeneid.*

Tum reges, aſperque immani corpore Tibris,
A quo pòſt Itali fluuium cognomine Tibrim

Dixi-

Diximus: amiſit verum vetus Albula nomen.

Liuius lib. I. *Tiberinus ex Albæ regibus in traiectu Albulæ amnis ſubmerſus, celebre ad poſteros nomen flumini dedit. Plin. lib.* III. *cap.* V. *Tiberis antea Tibris appellatus, & prius Albula. Ouid.* II. *faſt.*

Albula, quę Tiberim merſus Tiberinus in vndis
Reddidit. --

Martialis lib XII. *epigr. vltimo.*

-- Cui rector aquarum
Albula nauigerum per freta pandit iter.

De vitium generibus iuxta locorū & regionum proprietatem Plin. lib. XIIII. *cap.* III. *ſcribens, Municipij, inquit, vuam Pompei nomine appellant, quāuis Cluſinis copioſiorē. Municipij et Tiburtes appellauere, quāuis oleaginā nuper inuenerint à ſimilitudine oliuæ. nouiſſima hæc uuarū ad hoc tēpus reperta eſt. Et lib.* XVII. *cap.* XVI. *De emplaſtratione (inſitionis id genus eſt, quam inoculationem aliàs vocant, de qua & Colum. lib.* III. *cap.* XXVI. *lib.* XII. *c.* II. *lib.* VI. *cap.* IX.) *loquēs, Quidam, inquit, huic generi miſcuere fiſſuram in vitibus, exempta cortice teſſella, ſurculo à latere plano adigendo. Tot modis inſitam arborem vidimus iuxta Tiburtes, tiliam omni pomorum genere onuſtam, alio ramo nucibus, alio baccis, aliunde vite, ficis, pyris, punicis, malorumque generibus. ſed huic breuis fuit vita. Et lib.* XV. *cap.* XVIII. *vbi ficuum genera* XXIX. *deſcribit; Nam Alexandrina nigra eſt, candicante rima cognomine delicatæ. Nigra & Rhodia eſt, & Tiburtina de præcocibus:* Hædum *Tiburtinum, Iuuenalis ſat.* XI. *commendat,*

Fer-

Fercula nunc audi nullis ornata macellis;
De Tiburtino veniet pinguiſſimus agro
Hœdulus, & toto grege mollior, inſcius herbæ,
Nec dum auſus virgas humilis mordere ſalicti,
Qui plus lactis habet, quàm ſanguinis.

Oues, Martial. lib. VII. *epigr.* LXXIX.

At tibi captiuo famulus mittetur ab Iſtro,
Qui Tiburtinas paſcere poſſit oues.

Hodie quoque multa nos laudare poſſumus, quæ ab Tibure ad vrbem Romam importantur, vt lapidē Tiburtinum (de quo Plin. cum alibi, tum lib. XXXVI. *cap.* XXII.*) ad ædificiorū ornatum & magnificentiā, calcem, ferrum, chartam emporeticam, oleum, quod ita nunc eſt in pretio, vt olim venafranum, omnis generis fructus, quos arbores ferunt, ac præcipuè vuā duracinam, qua maxime regio hæc abundat, callo gratiſſimam, vt inde poſſit inueniſſe nomen duracina. Duratque per hyemem penſili concamerata nodo, in vite ſeruabilis: vt Plin. lib.* XIII. *cap.* I. *&* III. *de hac Martial lib.* I. *epigr.* C.

Non quæ de tardis ſeruantur vitibus vuæ.

Et lib. XIII. *epigr.* XXII.

Non habilis cyathis, & inutilis vua lyæo;
Sed non potanti me tibi nectar ero.

Columel. lib. III. *cap.* I. *de vua duracina. Suet. in Aug. cap.* LXXVI. *Dum lectica ex regia domum redeo, panis vnciam cum paucis acinis vuæ duracinæ comedi.*

Tiburtinæ vrbis, regionis, ac cæli amœnitatem, vbertatem, ſalubritatem ſecuti permulti quondam

Romani

Romani nobiles,& principes viri, in agro Tiburti prædia ſibi, villaſque compararunt. quarundam adhuc cernuntur veſtigia, & ruinæ, aliarum vocabubula, licet corrupta, etiam nunc manent, vt Caſſii & Piſonis ſupra villam Hadriani; vt Quintilij Vari. Q. Horatius Flaccus Tiburtina ruſticatione vſque eò delectabatur, vt primo carm.lib. Ode VII. *plane ac diſerte profiteretur,*

Me nec tam patiens Lacedæmon,
Nec tam Lariſſæ perculſit campus opimæ,
Quàm domus Albuneæ reſonantis,
Et præceps Anio, & Tiburti lucus, & vda
Mobilibus pomaria riuis.

Vbi Acron interpres, Albuneam, delectabile nemus eſſe pronunciat, Albuneæ conſecratum nympha, à qua & nomen accèperit; Porphyrion Deam facit, in regione Tiburtina, fontis præſidem, teſte Virgil. in ſeptimo,

At rex ſollicitus monſtris, oracula Fauni
Fatidici genitoris adit; lucoſque ſub alta
Conſulit Albunea: nemorũ quæ maxima ſacro
Fonte ſonat, ſæuamque exhalat opaca mephitim.

Hic Seruio Albunea eſt in Tiburtinis altiſsimis montibus, dicta ab aquæ qualitate, quæ in illo fonte eſt: Vnde etiam nonnulli ipſam Leucotheam volunt. vnum vero nomen eſt fontis & ſyluæ. Quod vero Seruius eam in montibus ponit, id quidam eruditi viri non probant: nuſquam enim alibi putor ille,

ille, ac graueolens exhalatio, niſi in plano iuxta Anienem longè latèque ſentitur, vbi quondam nemora & luci fuerunt; nunc apertus eſt campus, nudus, & vacuus; Balnea Tiburtina nuncupantur. cũ altam Albuneam Virgilius dixit, profundam ſignificare voluit, non autem in ſublimi atque edito loco exiſtentem. Idem Virg. eodem lib.

Qualia multa mari nautæ patiuntur in alto.

Et ecloga VI.

-- gurgite in alto

Ah timidos nautas canibus laceraſſe marinis.

Et IIII. *Georg.*

At mater ſonitum thalamo ſub fluminis alti

Senſit --

& -- Cæſar dum magnus ad altum,

Fulminat Euphratem bello. --

Plin. lib. X. *cap.* XLVIII.

Apicius nepotum omniũ altiſſimus gurges. Cic. Phil. IV. *Virtus eſt vna altiſſimis defixa radicibus. Vnde idem Seruius in* I. *Aeneid. Altum, inquit, et ſuperiorem & inferiorem altitudinem ſignificat; eſt enim menſuræ genus altitudo. Ceterum Lactantius lib.* I. *de falſa religione cap.* VI. *cum ex M. Varronis rerum diuinarum libris, Sibyllas nouem numeraſſet, decimam Tiburtem ſiue Tiburtinam poſuit, nomine Albuneam, quæ Tiburi colebatur. vt Dea, iuxta ripas Anienis; cuius in gurgite ſimulacrum eius inuentum eſſe dicitur, tenens in manu librum, cuius ſacra Senatus in capitolium tranſtulerit. Extat Tibure in ſumma Anienis ripa, catarra-*

ctæ

ctæ impendens, peruetuſtum circulari figura templũ columnis extrinſecus exornatum, quod huiuſce ſiue Sibyllæ, ſiue Nymphæ Albuneæ fuiſſe affirmant. Quo autem Sibylla hæc Tiburtina floruerit tẽpore, quodq́ue vaticinium de Chriſto ediderit, pro incomperto habetur, quamuis illud nullo certo auctore circumferatur,

Naſcetur Chriſtus in Bethleem, annuntiabitur in Nazareth, regnante Iano pacifico fundatore quietis. O felix illa mater, cuius vbera illum lactabunt.

Alterum quoque vaticinium vidi, quod Latinis characteribus & antiquo more in vetuſtiſſimo inciſum marmore, et apud Heluetios in Tauri montis, quem anno M. D. XX. tertio Kal. Martias aquarum vi, niuiumq́ue decurſu, cum fœda & miſerabili accolarum ſtrage corruiſſe conſtat, viſceribus inuentum traditur; exſcriptumque ad Imp. Cæſ. Carolum V. à Matthæo Heluetio S. R. E. presb. Card. Sedunenſi tranſmiſſum, inde ad Pont. Max. tum ab vrbis Romæ aſtrologis ac philoſophis reſponſum, illud ad Imp. Carolum pertinere. auctor Cornelius Gemma Louanienſis, regius Medicinæ profeſſor lib. II. Coſmocriticæ cap. III.

Titulus, ſeu prima inſcriptio hæc fuit.

Prophetia. T. Sibyllæ ol. LVII.
an. munne.

Videtur Sibylla Tiburtina in front ſignari, quaſi quæ vixerit olym. LVII.

Ipſam

*Ipſam vero prædictionem bene longã, quòd multa continere mihi videatur incredibilia, abſurda, ἀδύνατα, tanquam hoc opere alienam omitto: locum demonſtraſſe ſufficiat, vti, ſi quis eam forte deſideret, nulla ſit mora. Vt autem meum perſequar inſtitutum, Catullus, vt antea retuli, fundum ſuum, Tiburtinum & eſſe, & dici malebat, quàm Sabinum. Ad Tiburtini cæli temperiem laudemque referendum eſt illud Martialis lib.*I.*epigr.*CXL.*de Curatio.*

Ardea ſolſtitio, Pæſtanaque rura petantur,
 Quique Cleoneo ſidere feruet ager:
Cum Tiburtinas damnet Curatius auras,
 Inter laudatas ad ſtyga miſſus aquas,
Nullo fata loco poſsis excludere: cum mors
 Venerit, in medio Tibure Sardinia eſt.

*Temere atque iniuſte accuſabat Tiburtinum cælum Curatius Tibure moriens. nullius enim loci ſalubritas, nullius cæli bonitas poteſt hominem ab ineuitabili mortis iaculo ac neceſſitate defendere. M. Bruti illius, qui iuris ciuilis peritiſsimus fuit, Tiburtem fundum Cicero nominat in defenſione Cluentiana, et lib.*II.*de orat. De Q. Cæcilij Metelli Pij Scipionis, qui P. Cornelius Scipio Naſica dicebatur, Naſicæ Scipionis filius, & à Q. Metello Pio adoptatus Q. Cæcilius Q. F. Q. N. Metellus Pius Scipio à Cælio lib.*VII.*epiſt. ad fam. epiſtola* CXLII. *&* à Dione, *vocatur, Cn. Pompei magni ſocer, & in tertio conſulatu collega, anno vrbis* DCCII.*de huius, inquam, Tiburtino fundo, ſeu villa idem Cic. meminit lib.* XII. *epiſt.* CCXLIII. *& Philip.* V. *qua in villa decem &*

ſeptem

ſeptem dies M. Antonium declamaſſe cauillatur. Huc etiam pertinet, quod idem refert II. *de oratore: A quo genere, inquit, ne illud quidem plurimum diſtat, quod Glaucia Metello, villam in Tiburte habes, cortem in Palatio. Idē lib.* VIII. *ad Att. ep.* XXII. *de Tiburti Lepidi mentionem facit. Mecænatis villam Anieni imminentem, atque ad ſeptentriones verſam in montis dorſo extra Tiburis inferiorem portam, quæ Ateſtinos nunc hortos attingit, fuiſſe perhibent; cuius villæ ingentes ſubſtructiones, & inſignes ſuperſunt reliquiæ. Ea plurimum vſus eſſe traditur Auguſtus. E regione ferme huius villæ in altera fluminis ripa, ſoli obiecta, villa fuit Quintilij Vari, & paulo ſuperius, Tiburtinum Manlij Vopiſci, eruditiſſimi viri, cuius adhuc veſtigia quædam apparent in æde, cœnobioque Sancti Antonij Patauini; quod Franciſcani fratres tertij ordinis incolunt. Heroico id carmine ab ingenioſo Poeta Statio Papinio, primo ſiluarum libro deſcribitur, & celebratur.*

Cernere facundi Tibur glaciale Vopiſci
Si quis, & inſerto geminos Aniene penates,
Aut potuit ſociæ commercia ponere ripæ,
Certanteſque ſibi Dominum defendere villas;
& cęt.

Duas enim dicitur paraſſe villas, alteram in ripa vrbi coniuncta; æſtiuam, à ſole auerſam; & vergentem ad Boream; alteram hybernam ab Aquilone tutam; & ſoli expoſitam, in aduerſa ripa. Hic nimirum Vopiſcum Tibur ſibi

*delegerat ſedem, vbi vitam à curis, & vrbano tumultu remotam, degeret, et honeſto frueretur otio & quiete. Alij verò certo duntaxat anni tempore laxandi animi cauſa, aut vitandi caloris, ex vrbe Roma digreſſi aut Tibur, aut aliò ruſticatum ſe conferebant. Vnde Aulus Gellius lib.*xix.*noctium Atticarum cap.* v. *In Tiburte rus, inquit, conceſſera mus hominis amici diuitis, æſtate anni flagrantiſſima, &c. Horatius libere atque ingenue ſuam fatetur leuitatem & inconſtantiam, cum* 1.*lib.epiſt.*VIII.*ait.*
Romæ Tibur amen ventoſus, Tibure Romam.

Octauius Auguſtus, teſte Tranquillo cap. LXXII. *Ex ſeceſſibus præcipue frequentauit maritima, inſulasque Campaniæ, aut proxima vrbi oppida, Lauinium*(aliàs Lanuuium) *Præneſte, Tibur, vbi etiam in porticibus Herculis templi perſæpe ius dixit, & cap.* LXXXII.*Itinera lectica & noctibus fere, eaque lenta ac minuta faciebat, vt Præneſte, vel Tibur biduo procederet. Statius* IV. *Siluarum ad Marcellum,*

Iam terras volucremq. polũ fuga veris aquoſi
Laxat, & Icarijs cælum latratibus vrit.
Ardua iam denſæ rareſcunt mœnia Romæ.
Hos Præneſte ſacrũ, nemũs hos glaciale Dianæ,
Algidus aut horrẽs, aut Tuſcula protegit vmbra.
Tiburis hi lucos, Anienaq. frigora captant.
Te quoq. clamoſæ quænam plaga mitior vrbi
Subtrahit? æſtiuos quo decipis aere ſoles?

*Martialis lib.*VII.*epigr.*XXVII.*Ad Fuſcum.*
Sic Tiburtinæ creſcat tibi ſilua Dianæ,

Et properet cæſum ſæpe redire nemus.

Cuiuſdam Centronij ſuperbiſſimam villam etiam Tiburtinam Iuuenalis Sat. XIV.*dilaudat,*

Ædificator erat Centronius, & modo curuo
Littore Caietæ, ſumma nunc Tiburis arce,
Nunc Prænestinis in montibus alta parabat
Culmina villarum, Græcis, longeq́ue petitis
Marmoribus, vincens Fortunæ, atque Herculis ædem.

Ex quibus verbis intelligi datur, Fortunæ Prænestinæ, & Herculis Tiburtini ædes magnificentiſſimas illas quidem, multo tamen magnificentiores Centronis villas fuiſſe. Iam vero quid Hadriani Augusti Tiburtina villa celebrius? de qua Spartianus in eius vita ſic ſcribit; Tiburtinam villam mire exædificauit ita, ut in ea & prouinciarum, & locorum celeberrima nomina inſcriberet: velut Lyceũ, Acamiam, Prytaneum, Canopũ, Pœcilen, Tempe vocaret: & , vt nihil prætermitteret, etiam inferos finxit. Eum ſeceſſum quanto ſtudio ille coluerit, Sex. Aurel. Victor oſtendit, cum ait, Deinde, vti ſolet, tranquillis rebus, remiſſior, rus proprium Tibur ſeceſſit, permiſſa vrbe L. Aelio Cæſari: ipſe, vti beatis locupletibus mos, palatia exſtruere, curare epulas, ſigna, tabulas pictas; poſtremo omnia ſatis anxiè proſpicere, quæ luxus laſciuiaq́. eſſent. Hæc autem villa tam ampla, tam ſuperba, tam regia, tot ac tantis operibus exornata, nunc temporum motu, vetuſtatis iniuria, rerum humanarum viciſſitudine atq. conuerſione, iuſto denique Dei iudicio, qui ad nihilũ

ſuos redigit inimicos, & cuncta diſſipat conſilia, & opera impiorum, proſtrata & diruta ante oculos iacet. Ruinas ſi procul aſpicias, vrbem putes fuiſſe, non villam; vnde aliquot iam ætatibus vulgo Tibur vetus appellant. Tanta ergo hæc opera, quæ immortalia futura atque æterna videbantur; tandem, vt eorum auctores, ſic ipſa etiam, quemadmodum cernimus, interiere, vti alia inſignia, & memoratu digna eiuſdem Hadriani Cæſaris opera atque ædificia, quæ Pauſanias primo libro deſcribit. Athenis enim Olympij Iouis templum dedicauit, & in eo ſignũ, quod magnitudine cum Romanis, & Rhodienſibus coloſſis conferri poſſit. Videas ibidem & alia ſigna ex ebore, & auro, in quibus æque artem ac magnitudinem admirere. Sunt & duæ Hadriani ſtatuæ ex Thaſio, totidẽ ex Aegyptio marmore. Ad templi vero columnas, vrbium, quas colonias Athenienſes appellant, ex ære erecta ſunt ſimulacra. Eſt autem totius tẽpli ambitus ſtadiorũ amplius quatuor, neque eius vlla pars ſtatuis uacat. ſingulæ enim urbes in eo, Hadriano ſtatuã poſuerunt; quas omnes Athenienſes longo interuallo ſuperarunt, erecto eidem miran di operis coloſſo in poſtica templi parte. Sed alia præterea Athenienſibus opera Hadrianus exædifica uit, & Iunonis, ac Iouis Pallenij templum, communemque omnibus dijs ædem. Spectantur inter cetera opera, ut quæ maxime, columnæ centum & uiginti ex Phrygio marmore, & ex eadem materia parietes in porticibus extructi; & in ijs cellæ, quarum lacunar auro & alabaſtro præful-

get.

get. Bibliotheca eſt in eodem templo, & gymnaſium Hadriani cognomento, in quo columnæ centum è Libycis lapidicinis. Idem in Hadriani uita Aelius Spartianus memorat, Ad orientem profectus, inquit, per Athenas iter fecit, atque opera, quæ apud Athenienſes cœperat, dedicauit: ut Iouis Olympij ædem, & aram ſibi; eodemque modo per Aſiam iter faciens, templa ſui nominis conſecrauit. Sed, ut ad Tibur redeam, unde deflexi, Liuius lib. XXX. *de Scipionis Africani ſuperioris triumpho loquens, Morte, inquit, ſubtractus ſpectaculo magis hominũ, quàm triũphãtis gloriæ Syphax eſt* (is Numidiæ in Africa rex ingẽtis nominis à Scipione deuictus captuſq. & à Lælio cũ primoribus Numidarũ captiuis Romã adductus fuerat, & inde Albã in cuſtodiam miſſus) *Tibure haud ita multo ante mortuus, quo ab Alba traductus fuerat. cõſpecta mors tamẽ eius fuit, quia publico funere eſt elatus, an. Vrbis* DLII. *Hũc regẽ in triumpho ductum Polybius, haudquaquam ſpernendus auctor, tradit. Hinc animaduertere eſt, magnos et illuſtres uiros Tibur potiſſimum in cuſtodiã amandari cõſueuiſſe, uel propter ſecuritatẽ urbis natura loci munitiſſimæ, ac Romæ propinquæ, uel propter ſalubre amœnumq. cælũ. Qua de cauſa Regina Zenobia captiua eò in cuſtodiã ducta Tiburtini agri nomen auxit & ornauit. Huius autem maritus Odenatus, natione Syrus, Decurio Palmyrenus, ſiue Palmyrenorum princeps, Valeriano Auguſto capto à Perſarum rege Sapore, Imperator à legionibus*

orientalibus Palmyræ in Syria appellatus, Zenobiã vxorem, & filiũ Herodem ex priori coniugio Auguſtos, reliquos tres ex ipſa Zenobia ſuſceptos, Herennianum, Timolaum, & Vhabalathum adhuc puerulos Cæſares appellauit; Perſas memorabili prælio vicit: demum ſexto imperij anno, Chriſti autem CCLXV. *inſidijs conſobrini ſui Moconij, qui & ipſe imperium occuparat, occiſus eſt; vir ſane, qui cum vxore Zenobia (ſi Trebellio Pollioni credimus) non ſolum orientem, quem iam in priſtinum reformauerat ſtatum, ſed omnes omnino totius orbis partes reformaſſet: vir acer in bellis, &, quantum plerique ſcriptores loquuntur, venatu incredibili ſemper inclytus; qui à prima ætate capiendis leonibus, & pardis, & vrſis, ceteriſque ſilueſtribus animalibus ſudorem officij virilis impendit, quique ſemper in ſiluis ac montibus vixit: perferens calorem, pluuias, & omnia mala, quæ in ſe continent venatoriæ voluptates: quibus duratus, ſolem ac pulue rem bellis Perſicis tulit; non aliter etiam coniuge aſſueta, quæ multorum ſententia fortior marito fuiſſe perhibetur, mulierum omnium nobiliſſima, Orientalium feminarum (vt Cornelius Capitolinus ait) ſpecioſiſsima. Hæc ſe de Cleopatrarum, Ptolemæorumque gente iactabat, & poſt mariti Odenati cædem, imperiali ſagulo, perfuſo per humeros habitu, donis ornata, diademate etiam accepto, nomine filiorum, quos ex Cæſaribus Auguſtos appellauit, diutius quàm femineus ſexus patiebatur, imperauit. Siquidem Gallieno Aug. adhuc regente rempub. regale*

mulier

mulier ſuperba munus ſex annis obtinuit, & Claudio Imp. bellis Gothicis occupato, vix denique à M. Aurelio Valerio Aureliano Auguſto duplici prælio victa, & per obſidionis moras fracta, captaque, & in triumphũ ducta eſt anno vrbis M. XXIV. *Chriſti* CCLXXII. *Extat apud eundem Pollionẽ epiſtola Aureliani, qua captiuæ mulieri teſtimonium fert. Nam cum à quibuſdam reprehenderetur, quòd mulierem veluti ducem aliquem vir fortiſsimus triumphaßet, miſsis ad ſenatum populumque Romanum litteris, hac ſe atteſtatione defendit: Audio P. C. mihi obijci, quòd non virile munus impleuerim, Zenobiam triumphando. Nae illi, qui me reprehendunt, ſatis laudarent, ſi ſcirent qualis illa eſt mulier, quàm prudens in conſilijs, quàm conſtans in diſpoſitionibus, quàm erga milites grauis, quàm larga, cum neceſsitas poſtulet, quàm triſtis, cum ſeueritas poſcat. Poſſum dicere illius eſſe, quòd Odenatus Perſas vicit, ac fugato Sapore, Cteſiphontẽ vſque* (vicus eſt prope Tigrim fluuium, & Seleuciã Aſſyriæ metropolim, auctore Strabone li. XVI.) *peruenit. Poſſum aſſerere, tanto apud Orientales & Aegyptiorum populos timori mulierem fuiſſe, vt ſe non Arabes, non Saraceni, non Armenij commouerent. Nec ego illi vitam conſeruaſſem, niſi eam ſciſſem multum Romanæ reipublicæ profuiſſe, cum ſibi, vel liberis ſuis Orientis ſeruaret imperium. Sibi ergo habeant propriarum venena linguarum hi, quibus nihil placet. Nam ſi viciße ac triumphaße feminam, non eſt decorum; quid de Gallieno loquuntur, in cuius con-*

 temptum

temptũ hæc bene rexit imperiũ? Quid de Diuo Clau dio, ſacto ac venerabili duce, qui eã, quòd ipſe Gothi cis eſſet expeditionibus occupatus, paſſus eſſe dicitur imperare, idq́. occulte ac prudenter, vt illa ſerua ret Oriẽtalis fines imperij, ipſe ſecurius, quæ inſtitue rat, perpetraret? Hæc oratio indicat quid iudicij Au relianus habuerit de Zenobia: cuius ea caſtitas fuiſſe dicitur, vt ne virum ſuũ quidem ſciret, niſi tentatis conceptionibus. Nam cũ ſemel cõcubuiſſet, expecta tis menſtruis continebat ſe, ſi prægnans eſſet; ſin minus iterũ poteſtatẽ quærendis liberis dabat. Vixit re gali põpa more magis perſico; Adorata eſt more regũ Perſarum; cõuiuata eſt imperatorũ more Rom. ad conciones galeata proceſſit cum limbo purpureo, gẽmis dependentibus per ultimam fimbriã, media etiã cyclade veluti fibula muliebri aſtricta, brachio ſæpe nudo. Fuit vultu ſubaquilo, fuſci coloris, oculis ſu pra modũ vigentibus nigris, ſpiritus diuini, venuſta tis incredibilis: tantus candor in dentibus, aut marga ritas eã plerią. putarent habere, non dentes. Vox cla ra et virilis: ſeueritas, vbi neceſſitas poſtulabat, tyrannorũ; bonorum principũ clemẽtia, vbi pietas requirebat. Larga prudenter, conſeruatrix theſaurorũ vltra femineum modũ. Vſa vehiculo carpentario, ra rò pilento, equo ſæpius. Fertur autem vel tria vel quatuor millia frequenter cũ peditibus ambulaſſe: bibit ſæpe cum ducibus, cum eſſet aliàs ſobria: bibit etiam cum Perſis atq. Armenijs, vt eos vinceret. Vſa eſt vaſis aureis gemmatis ad conuiuia, quibus et Cleopatra vſa eſt. In miniſterio Eunuchos grauio

ris

ris ætatis habuit,puellas nimis raras.Filios latinè lo qui iußerat;adeo, vt græce vel difficile,vel raro loquerentur. Ipſa latini ſermonis non vſquequaque ignara,ſed vt loqueretur, pudore cohibita:loquebatur et Aegyptiace ad perfectum modum. Hiſtoriæ Alexandrinæ atq. orientalis ita perita, vt eam epitomaſſe dicatur:Latinā autem Græce legerat. Cum illam Aurelianus cepiſſet, atq. in conſpectum ſuum ductam ſic appellaßet;Quid ò Zenobia auſa es inſultare Romanis Imperatoribus?Illa dixiſſe fertur, Imperatorē te eße cognoſco, qui vincis: Gallienum,et Aureolū(hic ſub Gallieno Augu.ex duce exercitus Illyriciani à ſuis legionib. Imperator appellatus Mediolani,cū annis octo imperaſſet, prœlio à Clau.Im. victus & occiſus eſt iuxta eandē vrbē,an.Chriſti CCLXIX.)*& ceteros,principes nō putaui.Victoriā*(alias Victorinā, quæ iū cum imperāte Gallieno,xxx.tyranni Romanū per diuerſas prouincias inuaſerūt imperiū, poſt mariti & filij Victorinorū cædē apud Coloniā Agrippinā tumultu,militari factā, eos imitata ſe in Gallijs Auguſta,& caſtrorū matrē appellauerat, & Tetrici fraude interierat)*mei ſimilē credēs, in conſortiū regni uenire,ſi facultas locorū pateretur,optaui. Ducta eſt igitur per triūphū ea ſpecie, ut nihil pōpabilius Populo.Ro. videretur.Iā primū ornata gēmis ingētibus, ita,ut ornamentorū onere laboraret.Fertur.n.mulier fortiſſima ſæpiſſime reſtitiſſe,cū diceret ſe gemmarū onera ferre non poſſe. Vincti erāt præterea pedes auro,manus etiā cathenis aureis:nec collo*

aureum vinculum deerat, quod ſcurra Perſicus præferebat. Huic ab Aureliano viuere conceſſum eſt. ferturque uixiſſe cum liberis, matronæ iam more Romanæ, data ſibi poſſeſſione in Tiburti, quæ hodieque Zenobia dicitur, non longe ab Hadriani palatio, atque ab eo loco, cui nomen eſt Conche. De filiorum exitu incertum eſt. Multi enim dicunt eos ab Aureliano interemptos, multi morte ſua conſumptos. Siquidem Zenobiæ poſteri etiam nunc Romæ inter nobiles manent. Hæc Trebellius Pollio, quem ſub Fl. Valerio Conſtantio Cæſare, Conſtantini magni patre, anno Chriſti circiter CCC. *floruiſſe ipſius indicant ſcripta: Zenobiæ autem villæ ruinas eſſe opinamur, quæ hodie in collibus ſancti Stephani, vt vulgo vocant, cernuntur. Vt enim in vrbe, ſic etiam in ſuburbano agro Tiburtino plurima exſtant veterum templorum, villarum, ſepulcrorum, aliorumque operum, atque ædificiorum veſtigia; exſtant etiam antiqui paſſim lapides, quorum inſcriptiones aliquot ſummo Aldi Manutij ſtudio & cura collectæ editæq. circumferuntur. numerum paginarum, quibus illæ continentur, adſcribam, vt quiſque, cum libuerit, ſtatim inuenire poſſit. In ipſa vrbe Tibure ad D. Syluestri, pag.* XV. *&* DCCIII. *ad D. Mariæ, pag.* CXXV. *ad D. Vincētij pag.* CLXXVIII. *in pariete hoſpitij publici ad forum, pag.* CCCCLIX. *ad D. Pauli, pag.* DCXIX. *Item alibi, pag.* XCIV. CCLXV. DCCXVI. *In agro Tiburtino* XII. *ab vrbe lapide, pag.* XXV. *&* XXVI. *Et ad pontem Lucanū, pag.* DCCXVII. *&* DCCXVIII. *Repertum eſt etiam noſtra memoria*

ſecundo

ſecundo ab Tibure milliario prope viam & reliquias aquæductus, Anienem inter & proximos montes, ſepulcrum Patroni, quẽ L. Aelij Commodi Antonini Aug. libertum & familiarem fuiſſe marmor, & numiſmata cum eius Imperatoris effigie haud procul effoſſa teſtantur. ex quibus facilis eſt coniectura, huius Patroni villam fuiße, quæ nuper à Crucijs in antiquis ruinis inſtaurata, & in edito, amœno, ſalubrique colle conſpicua viſitur, & cum toto fundo, hoc eſt, omnibus circa ſiluis, hortis, vinetis, arbuſtis, oliuetis, ſubiectiſque infra pratis, & aruis, Cruciæ familiæ nomine nuncupatur. Hic autem Patronus fortaſſe is eſt, de quo XXXII. *Digeſtorum libro fit mentio, L. Patronus. §. Codicillis de leg.* III. *his verbis;* Codicillis confirmatis ita cauit, Tiburtibus municipibus meis amãtiſſimis, quos ſcitis, balineum Iulianum iũctum domui meæ, ita, vt publice ſumptu heredum meorum, & diligentia decem menſibus totius anni præbeatur gratis. quæſitum eſt, an & ſumptus refectionibus neceſſarios heredes præſtare debeant. *Præter alias veterum ædificiorum ruinas, ſuperſunt in agro Tiburti etiam nunc reliquiæ nonnullæ aquarũ ductuum Marciæ, Anienis veteris, & Anienis noui. De aqua Marcia, quæ vel ab Anco Marcio, qui primus eã adduxit, nomen accepit, vel à Q. Marcio, qui opus vel abſoluit, vel refecit, Plin. lib* XXXI. *cap.* III. *Clariſſima aquarum omnium in toto orbe, frigoris ſalubritatiſque palma, præconio vrbis, Marcia eſt, inter reliqua, Deum munere, vrbi tributa. Vocabatur*

batur hæc quondam Auſeia; fons autem ipſe Piconia. Oritur in ultimis montibus Pelignorum: tranſit Marſos, & Fucinum lacum, Romam non dubie petens, mox ſpecu merſa, in Tiburtina ſe aperit, IX. *M. paſſuum fornicibus ſtructis perducta. Primus eam in urbẽ ducere auſpicatus eſt Ancus Marcius unus è regibus, poſtea Q. Marcius rex in prætura deduxit; rurſuſque reſtituit M. Agrippa. Quantum autem uirgo tactu, tantum præſtat Marcia hauſtu: & lib.* XXXVI. *cap.* XV. *hanc Manlius quoque Vopiſcus in Tiburtinum ſuum plumbeis fiſtulis deduxit, ut* Statius *docet, cum ait,*

Teque per obliquũ penitus quæ laberis amnem
Marcia? & audaci tranſcurris flumina plumbo?

Concipiebatur hæc uia Valeria ad milliarũ XXXV. *diuerticulo euntibus ab urbe Roma dextrorſus millia paſſuum* III. *villa Sublacenſi. Ductus eius erat longitudinis à capite ad urbem paßuum.* LX. *millium* DCCX. *& ſemis. Riuo ſubterraneo paß.* XLIV. *M.* CXLV. *& ſemis, opere ſupra terram paſſ.* VII. *M.* CCCCXLIII. *opere arcuato paß.* II. *M.* CCCCLXII. *propius urbem à* VI. *milliario ſubſtructione paſſ.* CLXXXVIII. *reliquo opere arcuato paſſ.* VI. *M.* CCCCLXXII. *C. Item Cæſar Caligula, qui Tiberio ſucceſſit, altero imperij ſui anno ad* VII. *priores ductus aquarum, duos alios adijcere ſtatuit, & inchoauit; quos Claudius magnificentiſſime conſummauit; & alteri quidem, quæ via Sublacenſi diuerticulo ſiniſtrorſus intra paſſus* CCC. *ex fontibus amplis, ſpecioſis Cæruleo, & Curtio perducebatur, Claudiæ nomen*

men eſt inditum ; Altera vero, quoniam duo Anienis riui influere in vrbem cœperant, vt appellationibus diſtinguerentur, Anio nouus vocata eſt, & quòd illas omnes præceſſerat prior Anio, ei veteris eſt cognomen adiectum. auctor Frontinus. De Claudia Plin. lib. XXXVI. *cap.* XV. *Vicit antecedentes aquarum ductus nouiſſimum impendium operis inchoati à C. Cæſare, & peracti à Claudio. Quippe à lapide quadrageſimo ad eam excelſitatem, vt in omnes vrbis montes leuarentur, influxere Curtius atque Cæruleus fontes. Erogatum in id opus ſeſtertium ter millies: quæ ſumma efficit ſeptuagies quinquies centena millia aureorum; hoc eſt ſeptem milliones, vt nunc vulgo loquuntur, & dimidiatum. Budæus ex vetuſtis codicibus legit, ſeſtertium quingenties quinquagies quinquies: quæ lectio, ſi vera eſt, efficiet multo minorem ſummam, decies ſcilicet centena, et trecenta octoginta ſeptem millia, & quingentos aur. Suetonius in Caligula cap.* XXI. *Inhcoauit autem aquæductum regione Tiburti, & amphitheatrum iuxta ſepta: quorum operum à ſucceſſore eius Claudio alterum peractum, omiſſum alterum eſt. Et in Claudio cap.* XX. *Opera magna potius, quàm neceſſaria, quàm multa perfecit: Sed vel præcipuà, aquæductum à Caio inchoatum. & poſt pauca; Claudiæ aquæ gelidos, & vberes fontes, quorum alteri Cæruleo, alteri Curtio, & Albudino nomen eſt: ſimulque riuum Anienis nouo lapideo opere in vrbem perduxit, diuiſitque in plurimos &*

ornatiſſimos lacus. Anienem nouum hic Tranquillus ſignificat, de quo, & veteri Frontinus hæc ſcribit; M. Curius Dentatus, qui cenſuram cum L. Papyrio geßerat, Anienis veteris aquam perducendam in vrbẽ ex manubijs de Pyrrho captis curauit, poſt annos XL. *quàm Appia fuerat perducta, anno ab vrbe condita* CDXXXIX. *Sp. Caruilio & Papyrio Coſſ. Poſt biennium deinde actum eſt in Senatu de eius conſummatione. Tum ex S.C. duumuiri aquæ perducendæ creati, Curius, & Ful. Flaccus. Curius intra quintum diem, quàm erat duumuir creatus, deceſſit: Gloria perductæ pertinuit ad Fuluium. Concipiebatur ſupra Tibur* XX. *milliario extra portam Raranam, vbi partim in Tiburtinum diſtribuebatur vſum, partim Romam deducta erat: quæ minus ſalubris in hortorum irrigationem, atque in ipſius vrbis ſordida exiſteret miniſteria. Ductus eius habebat lõgitudinem paſſuum* XLIII. *mill. Ex eo riuus erat ſubterraneus paſſuũ* XLII. *Subſtructione ſupra terram paſſ.* DCCIII. *Rectus ductus, ſecundum ſpeciem veterem veniens, intra portam Exquilinam in altos riuos per vrbem deducebatur. Anio autem nouus Sublacenſi via ad milliarium* XLII. *in ſuo riuo excipiebatur ex flumine; qui cum terras cultas circum ſe haberet ſoli pinguis, & inde ripas ſolutiores, etiã ſine pluuiarum iniuria limoſus, & turbulentus fluebat; ideoq́ue à faucibus ductus interpoſita erat piſcina limaria, vbi inter amnem & ſpecum conſiſteret & liqueretur aqua: ſic quoque quoties imbres ſuperuenirent, turbida perueniebat in vrbem. Iungebatur*

gebatur ei riuus Herculaneus, oriens eadem via, ad milliarium XLIII. *Ductus Anienis efficiebat longitudinem paſſuum* LXII. M.

Neque vero à veteribus tantum Ethnicisque Proceribus expetita eſt & celebrata manſio Tiburtina, ſed à Chriſtianis quoque principibus vel ad honeſtam voluptatem, atque ad breuem ceſſationem, animique remiſſionem, uel ad ſalutis cuſtodiam, & periculi vitationem ſæpe delecta. Atque vt à barbaro & Ariano homine initium ſumam, Totilas Baduilla VIII. *Gothorũ in Italia rex anno Chriſti* DXLI. *in Gallia Tranſpadana creatus in Etruriam, & inde in Campaniam trangreßus, Neapolim cepit, tùm credo, Romam contendens, ad Caſinum cum perueniſſet, S. Benedictum per ea tempora ſanctimoniæ, prodigiorum, & vaticinandi laude famaque florentem, tentaturus inuiſit; à quo illa futura audiuit, quæ B. Gregorius* II. *lib. Dial. cap.* XV. *memoriæ prodidit: Multa mala facis, multa mala feciſti: iam aliquando ab iniquitate conquieſce. Equidem Romam ingreſſurus es, mare tranſiturus, nouem annis regnans, decimo morieris. Quibus auditis rex vehementer territus, oratione petita, receſſit; atque ex illo iam tempore minus crudelis fuit, & non multo poſt Romam adijt, ad Siciliam perrexit. Anno autẽ regni ſui decimo, omnipotentis Dei iudicio regnum cum uita perdidit. hæc Greg. Meminit etiã Sigeber. in chron. an.* DXXXVI. *& Paulus Diac. lib.* XVII. *Totilas igitur urbis Romæ potiundæ cupiditate incenſus, in proxima loca exercitum duxerat; &, cum*

Beliſa-

Beliſarium ducem copiarum ab Imp. Iuſtiniano ex Oriente iterum in Italiam ad Romanæ vrbis aduerſus Gothos ſubſidium, miſſum aduentare cognouiſſet; interim, vt Procopius lib. III. *de bello Gothico refert, Tibur, quod Iſaurorum præſidio tenebatur, per proditionem hoc pacto cepit. Ex incolis quidam cum Iſauris portarum cuſtodibus, nulla ipſorum culpa paulo ante iurgati, hoſtes, qui proxime caſtra habebant, noctu introduxere. Vnde Iſauri, cum vrbem in hoſtium eſſe poteſtatem aduerterent, agmine vno inter ſe coeuntes, integri fere omnes fuga euadunt. Tum Gothi ciuium nemini parcere, ſed cum vrbis præſule, ſeu præſide, occidione vniuerſos occidere, & cædibus tantopere in hos de ſæuire, vt eas explicaturus non ſim, ne inhumanitatis & ſæuitiæ monumenta poſteritati relinquam. Inter ceteros & Catelus interijt, vir ſane inter Italos probus. Iamque & Tiberim barbari occuparãt. Vnde factum, vt haudquaquam Romani de cetero poſſent flumine commeatus deuehere. nam & ſecus amnem ſitum id oppidum eſt, ſupra vrbem Romam ſtadijs cẽtum & quinquaginta. Quod cum à Gothis iam teneretur, veluti ex propugnaculo è regione ſiue per Anienem fluuium hi nauigantibus, ſiue terra iter habentibus infeſti erant. hæc Procopius, qui deinceps Totilam narrat Tibure digreſſum, & aduerſus Beliſariũ in Picenũ, Vmbriamq. profectũ, aliquot vrbes in poteſtatẽ redegiſſe; inde ad vrbem Romam obſidendam rediſſe, quam cum extrema fame laborantem, Iſaurorum militum, qui portam Cæli*

mon-

montanam, tunc Aſinariam dictã, cuſtodiebant, proditione ac fraude per noctem cepiſſet anno, vt Segeberto placet, DXLIII. *Vigilio Rom. Pontifice ob fidẽ orthodoxam iuſſu Theodoræ Auguſtæ Conſtantinopolim deportato, vt victoria minus inſolenter vteretur, Pelagij S.R.E. Archidiaconi modeſtia & prudentia fecit. Is poſtea Vigilio, cum Romam rediret, in Sicilia extincto, in pontificatu ſucceſſit anno circiter* D L V. *& Baſilicam SS. Apoſt. Philippi & Iacobi prope thermas Conſtãtinianas inchoaſſe perhibetur. Totilas dehinc certior factus de clade Gothis in Lucania à Romanis illata, ira furens ſtatuit vrbẽ Romã ſolo æquare: et quidẽ tertiam partem murorũ diuerſis in locis euertit; pulchriora præterea & magnificentiora ædificia incendio delere, vrbẽq. in ouiũ paſcua, vt Procopius loquitur, redigere deſtinabat. Beliſarij litteris eſt ab hac mente deductus. Tũ maiorem exercitus partẽ ab vrbe haud longius ſtadijs* C L. *ad occidentẽ in Algedone (id loco nomen erat) locauit, ne videlicet Beliſarij militibus vlla prorſus eſſet euagãdi facultas. Ipſe in Lucanos cõtendit, delectiſq. Romanis patricijs, ſecũ vna deducẽdis, ceteros omnes cũ coniugibus & liberis ad Campaniæ loca tranſmiſit, nullo hominũ in urbe relicto, quã penitus deſtitutam dimiſerat. Interea abſente Totila, Beliſarius, paucis ad portus cuſtodiã relictis militibus, ipſe cum ceteris Romã venit, eãq. vt potuit, breui cõmuniuit, & rerũ neceſſariarũ copia inſtruxit; Romanos, qui proxima vrbi loca incolebãt, partim patriæ deſiderio, partim inopia adductos facile reuocauit. His*

cogni-

cognitis Totilas profectus ſtatim cum uniuerſo exercitu ad urbem peruenit; quam Romanis acriter propugnantibus cum fruſtra, & non ſine clade ſuorum obſideret, demum ſoluta obſidione, Tibur, vt eodem lib. III. *Procopius ſcribit, cum barbaris ſe recepit. Vbi de integro exædificare præſidium Gothi omni conatu decernunt, quod antea ipſi deleuerant; in eoque oppido pecunia omni depoſita quieſcebant, &c. Leonardus quoque Aretinus lib.* III. *de bello Italico aduerſus Gothos, Inter hæc, inquit, Totilas Tibur inuaſit, ex oppidanorum militumque diſcordijs ſeditione coorta, per quam uocatus ab alterutra parte, vrbem ſuſcepit. Imminet autem Tibur vrbi Romæ, nec plus ab ea diſtat, quàm ſexdecim mill. paſſuum. Ea res magnas difficultates cœpit Romanis afferre, ac per Latium cuncta impedire. & lib.* III. *His actis Totilas, quia ſe fruſtra conari uidebat, prælium diremit, ac poſtridie abiens, Tibur conceſſit. Eam quippe tenebat vrbem, vt ſupra diximus, maioremque in modum munita arce, his quaſi caſtris aduerſus Romanos utebatur: Romani uero ne ſubitis incurſionibus ab ea parte infeſtarentur, cunctos Anienis pontes euerterunt. Anio flumen in Hernicis oritur, decurrenſque ex montibus planiciem ſecat inter Tibur & Romam. Habet uero præaltas ripas et aquarum profunditatem non tranſmeabilem. Itaque pontes ſuper eo præcipuis uijs exiſtebant, ceu Salaria, & Nomentana, et Tiburtina. His igitur tunc pontibus reſciſſis, fieri diſcurſiones aduerſus urbem Romam ab ea parte non poterant. Beliſarius poſt Go-*

thorum

thorum diſceſſum, portas vrbis, earumq́; ferramenta quietè iam fabricari fecit, claueſq́; vrbis Romæ, quaſi iterum ab ſe partæ ad Iuſtinianum in Græciam miſit; finisque fuit duodecimi anni huius belli. Proximo dehinc anno, vt primum ver incœpit, Totilas Tibure profectus, Peruſiam duxit, quam vrbem longa obſidione ac fame grauiſſime exercuit & afflixit. Tum Totilæ iuſſu vir ſanctiſſimus Herculanus Epiſcopus obtruncatur: cuius martyrium anno CXLIII. *Segebertus adſcribit. quadrageſimoprimo porro die à cæde caput ſancti martyris perinde ceruici coniunctum apparuit, ac ſi nunquam amputatum fuiſſet, Gregorius & Segebertus. Otho* III. *Imperator, qui ab eximijs virtutibus Mirabilia mundi cognomen inuenit, ann. Chriſti* CMXCVII. *rebus Romæ pacatis, & Creſcentio Conſule turbarum auctore cum* XII. *diſcordiarum ſcelerisq́; affinibus damnato, ſuſpendioq́; affecto, aduerſus Tiburtes qui Mazolinum, ſeu Mattholinũ, nobilem ipſius ducem occiderant, exercitum duxit, atq; à mœnibus armis repulſus, oppido obſidionem admouit. Hæc agenti Sanctus Romualdus Abbas Claſſenſis ſuperuenit, & abbatiam in ipſius, & Rauennatium antiſtitis conſpectu reddita virga, depoſuit: eius rogatu Otho pacem veniamq́; Tiburtibus dedit ea lege, vt ad Cæſarei nominis honorem, murorum partem dirueren, obſides darent, & ducis interfectorem dederent. auctores præter cæteros S. Antonin.* II. *part. hiſt. tit.* XV. *cap.* XV. *in vita S. Romual. ſed ann.* MCLV. *Fridericus* I. *Imp. de quo paulo pòſt, cum Tibure curandæ valetudinis cauſa eſſet, vrbem reſtituit, & am-*

H pliauit.

*pliauit.Blondus libro de Italia illuſtrata, & Volater. lib.*VI*.Geographiæ,& Sigon.lib.*VI*.Hiſt.de regno Italiæ. Securitatis cauſa Eugenius* III*.Pont. Max. S. Bernardi Abbatis antea diſcipulus, Tibur anno ſalutis* MCXLVI. *contendit, vt Populi Rom. furorem atque inſaniam declinaret. Tiburtes enim, quòd cum Prænestinis, Tuſculanis,& Albanis ſuperiore diſſidio ab Anacleto pſeudopapa,eiusq; adiutore Rogerio Siciliæ Comite, aduerſus Innocentium* II*. Pont. Max. ſtetiſſent, Rogerioq; poſt ad officium reuocato, ac regio nomine inſignito, in contumacia ſoli nihilominus permanerent, ab Romanorum exercitu ann.* MCXLII. *Innocentio iubente vrbi admoto, acriter obſeſſi ſunt. Veriti autem, nc longa obſidione, & commeatuum inopia ad deditionem tandem cogerentur, conſilium ex neceſſitate ceperunt; ac repente facta eruptione Pontificis & Romanorum caſtra adoriuntur, hoſteſque ad prælium egreſſos loco mouerunt, caſtriſq; exutos in fugam verterunt. Inſequenti anno, cum à Pontifice ad defectionis iniuriam vlciſcendam incenſo,& Romanorum ira incitato, maioribus copijs & apparatu aduerſum ſe bellum inſtaurari viderent, viribus diffiſi, antequam ad extrema venirent, pacem à Pontifice petierunt; quam, obſequium iurati, datiſq; obſidibus, impetrarunt; inuitis ac reclamantibus Romanis, qui Tiburtinorũ defectionem grauioribus pœnis vindicandam eſſe contenderent. Id quoniam ab æquo & clemente Pontifice extorquere neutiquam poterant, ira perciti, ac ſcelerum furijs agitati, ſuis moribus rebellarunt, ordinemque Senatorium iampridem ſublatum,*

tam,populi ſuffragijs reuocarunt,& bellum cum Tiburtibus renouarunt. A quibus tã nefarijs incœptis cum neque Pontificia auctoritate,neque diris execrationibus commoti deſiſterent, tum demum populus Romanus pontificiorum iure comitiorum, cuius iam inde à primis temporibus ad eam vſque diẽ particeps fuerat,priuatus eſt.Extincto VIII.Kal.Octob.optimo Pont.Innocentio,hæc cum eo inſtituta contentio inſequentes Pontifices omnes vſque ad Clementem III. continenter vexauit.Bellum quoque cum Latinis con tractum tantis vtrinque odijs,tantaq́; animorum obſtinatione atque acerbitate per complures geſtum eſt annos,vt nullo modo potuerit, niſi ipſorum oppidorũ excidio & internecione,finiri. Innocentio Cæleſtinus II.Cæleſtino Lucius II. Lucio Eugenius III.in Põtificatu ſucceſſit anno Chriſti MCXLV. Hic intoleranda & diuturna iam Romanorum inſolentia grauiter,vt par erat, offenſus, eos vlciſci, & ad priſtinum Eccleſiæ ſtudium & obſequium reuocare decreuit. Quapropter Tiburtes in primis, cetcroſq́; Latij populos, quorum cauſa Romani ad eum furorem deuenerant,ad arma ſollicitauit,& eorum ope Romanos inuaſit. Hi cum diutius vim ferre non poſſent, ac deteriora in dies pertimeſcerent, pacem poſtularunt, eamq́ue ijs demum condicionibus impetrarunt, vt Patricium abrogarent,præfectum vrbis reſtituerent, Senatores ex pontificia auctoritate retinerent, & Arnoldum Germanum hominem à recta fide abhorrentem, & à veritate aberrantem, diſſenſionis auctorem, & turbarum concitatorem vrbe extermi-

narent. His rebus peractis Eugenius Viterbio in vrbem reuertit, fauſta populi clerique acclamatione lætitiaque exceptus. Sed Romani poſtero anno MCXLVI. *tumultum ac ſeditionem redintegrantes, rurſus Eugenium, vt Tibur deleret, vrgere cęperunt. Qua quidem re non impetrata, vſqueadeo exarſerunt, vt ſe, niſi quod peterent, concederetur, vim adhibituros comminarentur. Eugenius re cum Cardinalibus communicata, rurſus vrbe ceſſit, Tiburque ſe contulit. Hoc vbi cognouit S. Bernardus, epiſtolam ad Populum Rom. obiurgatoriam ſcripſit, quæ* CCXLII. *numeratur, & altera proxima Conradum Germanorum & Romanorum Regem ad opem Eugenio ferendam hortatur. Eugenius diuerſis inde conſilijs agitatis, demum veterum Pontificum exemplo in Franciam profectus eſt, ſiue vt abſentia deſiderium ſui Romanis efficeret, ſiue vt Eccleſiæ Gallicanæ multis hæreſibus laboranti præſens conſuleret. Ibi autem biennium fere feliciter, atque vtiliter commoratus, in Italiam reuertitur. Ad vrbem cum veniſſet, eam inire noluit, ſua indignum præſentia iudicans Populum Rom. cuius adhuc maneret in Pontificem contumacia. Itaque per aliquod tempus, modo in Vaticano, modo in ſuburbanis Latij oppidis cum Cardinalibus fuit. Atque vt ex diplomatibus eius apparet, ad Sanctum Petrum ea de cauſa ſedit. Segebertus auctor eſt, ipſum multa cum Romanis certamina obtinendæ vrbis cauſa poſt reditum è Francia contraxiſſe. Demum* VIII. *Idus Iul.* MCLIII. *Tibure cum eſſet, migrauit ad cælum. Corpus*

Car-

Cardinales Romam deportarunt, atque in Vaticana Principis Apoſt. baſilicæ ſepulturæ mandarunt.

In eius locum ſuffectus eſt Anaſtaſius IIII. *Anaſtaſium Hadrianus* IIII. *eſt conſequutus, à quo Fridericus Ahenobarbus Germaniæ Rex Romæ in Vaticana Baſilica Sancti Petri inunctus & coronatus Imperator anno Domini* MCLV. *caſtra Tuſculum inter vrbemque ad Romanorum, qui more ſuo à Pontificia maieſtate imperioque defecerant, audaciam comprimendam, conſtituit. Cum vero morborum, quibus ex aeris intemperie tentari Germanus exercitus cœperat, vim, æſtatiſque moleſtiam ferre ſe poſſe diffideret, relicto in ſuburbanis oppidis Hadriano Pontifice, ad montes Tiburtinos receſſit, vti & cœli ſalubritate, & medicamentorum copia tueri valetudinem poſſet. Idem antea fecerat Henricus* III. *Germ. rex, qui Romanæ eccleſiæ hoſtis à Gregorio* VII. *Summo Pontifice anathematis telo percuſſus, cum vrbem, quam cum Clemente* III *adulterino Pontifice à ſe in Gregorij contemptum intruſo, vt ab iſto Imperator ipſe conſecraretur, acri oppugnabat obſidione, expugnare non potuiſſet, ſæuientium æſtuum magnitudine conflictatus, & egregia Romanorum in tuenda patria, virtute deterritus, ab oppugnatione receſſerat, & Tibur petierat, vnde tanquam ex belli arce in Romanos quotidie incurſiones faciens, omnia igni ferroque uaſtabat, anno* MLXXXII. *Honorius* IIII. *quotannis vitandi æſtus cauſa, vt aulicorum conſuleret valetudini,*

Tibur proficiſci ſolebat. Pius item II. per æſtatem, aut Senas natale ſolum petebat, aut Tibur, vbi arcem, quæ nunc eſt, mira celeritate perfecit, in qua à Ioanne Antonio Campano Aprutinorum epiſcopo tabula marmorea cum hoc diſticho poſita eſt:

Grata bonis, inuiſa malis, inimica ſuperbis
Sum tibi, Tibur, enim ſic Pius inſtituit.

Atque hæc quidem ex Pontt. & Impp. annalibus Platina, & Sigonius.

Noſtra vero ætate non paucos ſacrorum Antiſtites, & illuſtres viros æſtiuis menſibus Romam cum Tibure vidimus commutaſſe, atque in primis duos proceres Ateſtinos Cardd. quorum prior Hippolytus, regiam Romanorum Principum magnificentiam æmulatus, vrbis mœnibus coniunctas ædes Septentrionem proſpectantes, à ciuitate ſibi donatas, prope à fundamentis inſtaurauit, atrijs, porticibus, cellis, triclinijs, procoetijs, cubiculis æſtiuis, hyberniſque plurimis auxit; emblemate, pictura, ſignis, ſcalis, ſpecularibus, ſupellectili denique ad regalem cultum exornauit. Loco autem, cui ea imminet domus, antea præcipiti & abrupto multis operis partim in mollem cliuum, partim in planum redacto, hortos amœniſſimos fecit, & rebus omnibus ad puram uoluptatem inſtruxit, ita prorſus, ut eorum cauſa magna vis hominum etiam Tranſalpinorum ex vrbe Tibur excurrant. Neſcias quid primum in tanta varietate mireris. Singula viſentium ocu-

los

los conuertunt , ac ſine ſatietate detinent & oble-ctant . Nemora , ſiluæque amœnæ ad decorem arcendoſque æſtiui ſolis ardores manu conſitæ , vijs pluribus ſemitiſque diuiſæ ; topia ſiue topiaria herbis , fruticibus , arbuſculis natura ſequacibus & flexilibus variarum animantium ac rerum effigies & imagines exprimunt , ac repræſentant . Cameræ , teſtudineſque , edera conueſtitæ ; Tum geſtationes , & ambulationes , labyrinthi , areæ preſſis , variéque tonſis viridibus ſeptæ , pomiferæ arbores , olera , flores , frutices , herbæ odoratæ omni tempore anni terram colorant . Foſſis per mediam vrbem ſub terra ſpecubus in ſaxo canalis exciſus , quo Anio in hortos ductus primùm circulari forma lacum efficit , inde fontes , riuos , piſcinas ; Lacum & proximam aream platani opacant proceræ , ac patulis diffuſæ ramis . Ex ædibus in ſubiectam planitiem per gradus è Tiburtino lapide ſtructos toto cliuo latos ac molles patet deſcenſus ; vtrinque è ſtibadijs & euripis aqua ſaliens , & in altum expulſa in ſe recidit , iunctiſque hiatibus & abſorbetur , & tollitur ; alibi velut expreſſa cubantium pondere , ſiphunculis effluit . Sunt locis pluribus diſpoſita è marmore ſedilia , quibus fonticuli adiacent ; Per totam ambulationem inducti fiſtulis aut tubulis ſtrepunt riui ; & crebra ſiphonum ora leni ac iucundo murmure perenniter fluunt .

Quid quòd alicubi te areolas inter topiariaque incaute atque otioſe inambulantem , & ſingula

contemplantem occulti & frequentes ſiphunculi laxatis epiſtomijs repente aquam è ſolo eiaculantes ludicro aſtu, doloque ac per inſidias non ſine ſpectantium riſu totum madefaciunt verius, quàm aſpergunt? Sunt & receſſus, & ſecreta pomaria, & viridaria, cryptoporticus, hemicycli; ædiculæ, fontes ſtatuis, columnis; atque opere adornati muſiuo. Ad hæc aquæ immiſſæ fiſtulis; & ſpiritus beneficio auiculæ ex ære formatæ ſuos edunt garritus, & prodeunte noctua, ſubito conticeſcunt. Inde hydraulis ſuaui ſono ad ſe trahit ac tenet. harum machinarum quas veteres inuenerunt, & vſurparunt, Claudius Venardus Gallus admirabile vir ingenio atque ſolertia noſtro ſeculo cæteras quidem retulit, hydraulim vero ab illis tantum inchoatam ita perfecit, vt integram cantionem abſoluat.

Idem in vna ex ijs piſcinis; quas dixi, ſiphonibus crebris circumquaque diſpoſitis, & in ſublime aquam contrariæ tollentibus, imbrem induxit, ac certis horis iridem, quæ totum efficiat circulum. De hydraulicis vide Athenæum lib. IIII. *& Vitruuium lib. decimo. cap.* XIII. *Ne ſingula perſequar; Marci Antonij Mureti, eloquentiſſimi viri, atque optimi, qui diu cum ipſo Hippolyto Cardinali Ferrarienſi fuit, carmen de his hortis ſcriptum legendum ſuadeo. Tibure certè hodie in hoc genere nihil eſt aliud, quod tantopere viſendum eſſe videatur. Sed ſi attentè conſiderare volumus, &, quæ diximus, omnia*

nia recto examinare ac ponderare iudicio, intelligemus profecto, ingenueque fatebimur alia quædam eſſe longe maiora, quibus Tiburtina ſe ciuitas iactet & glorietur; Sanctos nimirum homines tum ciues, quos tulit, quoſque Reſpublica Chriſtiana vniuerſa religioſè veneratur, & colit, tum externos, quorum ipſa reliquias ſeruat, &, quo decet, honore ac pietate proſequitur. Hoc in numero ſunt SS. Generoſus & Quirinus martyres, qui cuiates fuerint, aut quo paſſi tempore, in compertum habetur. ex tabulis Eccleſiæ Tiburtinæ didicimus vtriuſque corpus in æde Cathedrali, cui Beatiſſimus martyr & Romanæ Eccleſiæ Archidiaconus, & Tiburtinorum patronus Laurentius præſidet, aſſeruari; Generoſi quidem vnà cum corpore Sancti Seuerini monachi & Confeſſoris (de quo item nihil aliud affirmari licet) ſub ara maxima: Quirini autem (quem alium eſſe conſtat à Quirino Siſciæ in Illyrico Epiſcop. & mart. de quo Prudentius & Fortunatus Poetæ, Beda, Vſuardus, Ado, Mombrit, Molanus, & Cuſpinianus ſcripſerunt, eiuſque corpus primum è Pannonia Romam, deinde Mediolanum, in Bauariam poſtremo delatum) in ara ſacelli ſanctiſſ. Saluatoris quam Gregorius IX. Pont. Max. Friderico II. Ahenobarbo Imp. dicitur conſecraſſe, conditum eſt; cui ſacello nomen dedit domini Saluatoris imago ibi poſita, vna ex ijs, quæ à Beato Luca depictæ feruntur. In alio item eiuſdem ædis altari quieſcunt ſacra corpora. S. Alexandri

dri

dri Papæ ac martyris , & SS. Virgg. Romulæ ac Redemptæ ; de quarum moribus & ſanctitate meminit Beatus Gregorius toto capite xv. *lib.* IIII. *Dialog. Sed cum S. Alexandri corpus cum reliquijs SS. presbyterorum Euentij & Theoduli martt. Romæ in templo S. Sabinæ , & corpora SS. Virgg. Romulæ ac Redemptæ in Baſilica S. Mariæ ad præſepe recondita eſſe antiquæ inſcriptiones, codices , ac monumenta oſtendant , ut Tiburtinarum etiam , quæ proferuntur, tabularum ueritas conſtet , intelligendum eſt , id , quod alibi admonuimus , SS. corporum partem Tibure, partem Romæ ſeruari . Præterea diebus ſolemnibus exponuntur uiſendæ populo inauratæ binæ thecæ ſacrarum reliquiarum , quarum nomina hæc ſunt,*

Ex petra loci , ubi natus eſt D. N. IESVS Chriſtus.

Ex ſepulchro Domini N. Ieſu Chriſti.

Ex columna, ad quam uerberatus eſt Dominus.

Ex reliquijs SS. Innocentium.

S. Ioannis Baptiſtæ.

S. Mariæ Magdalenæ.

S. Stephani protomart.

S. Agapeti mart.

Integrum mentum S. Laurentij mart. cum alijs reliquijs eiuſdem.

S. Hermetis mart.

S. Cyriaci mart.

S. Cyrilli mart.

S. Vrbani Papæ & mart.

S. Pon-

S. Pontiani mart.
S. Sebaſtiani mart.
S. Cornelij mart.
S. Alexandri Papæ & mart.
S. Pantaleonis mart.
S. Secundini mart.
S. Benedicti Abbatis.
S. Euſebij Confeſſoris.
S. Leonis Papæ.
S. Anaſtasij Epiſcopi.
S. Leonardi confeſſ.
S. Hieronymi presb & eccleſiæ doctoris.
S. Petronillæ Virg.
S. Brigidæ Virg.
S. Secundinæ Virg.
Aliorum præterea ſanctorum, quorum nomina nobis ignota, ſcripta ſunt in libro vitæ.
Ex ſanguine S. Blaſij epiſc. & mart.
Ex brachio S. Felicis Papæ.
Ex veſte S. Franciſci confeſſ.
Ex capillis S. Rufinæ Virg.
Eſt denique argentea crux, quæ fruſtulum ligni ſalutiferæ crucis includit.

Hi omnes, alijque nonnulli, (quorum mentio fiet, cum ad nouum templum Societatis Ieſu ventum erit) ſanctiſſimi homines ſuis uenerandis oſſibus, ac cineribus Tiburtem ciuitatem honeſtant; Gelaſius vero I. & Honorius I. Pontifices maximi templis ædificandis aut conſecrandis ornarunt; Dum hic quidem Imperat. Cæſare Heraclio Auguſt.

guſt. anno Chriſti DCXXII. *in Beati Petri ſede collocatus, cum multas ſacras ædes Romæ exſtruxiſſe, tum apud vrbem Tiburtem templum nobiliſſimum Sancti Seuerini ingenti ſumptu condidiſſe; idque vario marmore, opere tectorio, & vermiculato, incruſtatione parietum, denique argento atque auro excoluiſſe narratur, Platin. Ille autem, hoc eſt, Gelaſius, Imp. Cæſare Anaſtaſio, & Theodorico Italiæ rege, ad annum ſalutis* CDXCVI. *in Apoſtolica Cathedra ſedens præter ceteras, Eccleſiam Sanctæ Euphemiæ mart. Tibure dedicauit; cum non ita multo ante Sanctus Simplicius Tiburtinus Summus Pontifex anno ſeruati orbis* CDLXVII. *Impp. Fl. Anthemio in Occidente, Leone I. in Oriente, Augg. factus & in vrbe Roma baſilicas Sancti Stephani in monte Cælio, Sancti Andreæ in Exquilijs iuxta Liberianam, Sancti Stephani apud Sancti Laurentij extra muros, Sanctæ Bibianæ ad Vrſum pileatum dedicaſſet, & Tibure nobilem Sancti Petri Apoſtoli, quæ adhuc exſtat, Eccleſiam condidiſſet. Qui non ortu ſolum ac ſanctitate, verum etiam rebus in Pontificatu præclare geſtis per annos amplius* XIIII. *ornamento patriæ fuit. Hunc anno Domini* DCCCXVIII. *æmulatus Ioannes IX. patria Tiburs, ordinis Sancti Benedicti monachus ſumma cum laude ſedem Apoſt. tenuit annos* II. *dies* XV. *vti ex Anaſtaſij Bibliothecarij Chron. Onufrius Panuinius refert. Hos autem tam egregios & excellentes viros vt tempore*

pore

pore, ſic martyrij meritis & inſignibus Tiburtina matrona Symphoroſa cum filijs anteceſſit. Cuius ad laudem omnia, quæ de Tiburte nomine vndique collecta conſcripſimus, referri uolumus: vt honori ſit ſanctiſſimæ feminæ in tali vrbe fuiſſe procreatam, & Tiburtina ciuitas nullam rem maiori gloriæ ſibi eſſe, quàm talem progenuiſſe ciuem, agnoſcat. Hæc enim vera & ſolida laus eſt, hoc decus, hæc amplitudo, in omnem duratura æternitatem; cum Iuſti in perpetuum viuant, & apud Dominum ſit merces eorum. Talem progeniem ciuitas, tales alumnos, tales iactet ac prædicet ciues; his ſe & maioribus, & patronis nobilem, fortem, munitam, glorioſam (ſi quidem in viua fide maneat, nec ab illorum virtute degeneret) citra vitium aut ſuſpicionem temeritatis exiſtimet, & glorietur. Quòd ſi omnibus Chriſti martyribus ſuus honor religioque debetur; ijs certe maior quidam impartiendus videtur cultus ac reuerentia, quorum inſigniora exſtitere & vitæ merita, & mortis pro veritate obitæ decora & triumphi. Symphoroſam in primis claram & illuſtrem in Chriſtiana Eccleſia reddiderunt generis, ſplendor, patriæ nobilitas, Getulij uiri nomen, & præclara facta, atque exitus glorioſus, utriuſque fratrum ſanctitas, filiorum martyrum conſtantia & fortitudo, demum temporis atque hoſtis antiquitas; Proximos enim Apoſtolicis fuiſſe temporibus, & prope naſcentis Euangelij vidiſſe & ſuo ſanguine conſecraſſe primordia, idque in Romana

næ vrbis conſpectu, in oculis Hadriani Cæſaris, celeberrimo loco, ſpectante multitudine, laus eſt cenſenda uel maxima. Adde, quòd, ut uir uxori, ſic mater filijs dux ad martyrium fuit: hoc vno diſſimilis fortiſſimæ ante ſe fœminæ totidem Machabæorum parenti, & poſt ſe Sanctæ Felicitati matronæ Rom. matri item ſeptem filiorum, quòd hæc filios ad mortem fortiter ſubeundam exemplo præceſſit, illæ ad virtutem verbo eos cohortatæ cum ad vitam præmiſiſſent æternam, ipſæ ſunt eadem via eueſtigiò ſubſecutæ. Hinc conijce Tiburtes ipſa pœnè Apoſtolorum ætate Chriſtianam ſuſcepiſſe religionem. Hos ſiquidem martyres coronatos fuiſſe conſtat anno a Chriſto nato CXXIII. *vt poſtremis ad Sanctum Getulium notis docuimus. De SS. Symphoroſa & filijs, præter martyrologia, auctores ſcripſere permulti, vt Volater. lib.* XIX. *comment. Sabell. Enn.* VII. *lib.* IIII. *Equilinus lib.*VI. *cap.*XI. *Hilario monachus, Mombrit. part.* II. *de Sanctis; Auctor Bergomen. de claris mulierib. Surius Tomo* III. *in actis Sancti Getulij. Vt autem nihil omittamus, B. Gregorius magnus epi.* XLIIII. *lib.* IIII. *indictione* XIII. *vbi acta Synodi in vrbe Roma ab ipſo Sanctiſs. Pontifice habitæ, Mauricio Auguſto, referuntur, in Epiſcoporũ ſubſcriptione Anaſtaſium Epiſcopum ciuitatis Tiburtinæ nominat: & ad calcem li.*XII. *Idem aduerſus Vrbicũ, hominem Tiburtinũ, defenſorẽ, mortuum ſingulare ac ſucceſſorib. imitandũ edidit põtificiæ clemẽtiæ et benignitatis exemplum; ep.*XXI. *lib.*I. *indict.*XI. *cap.*LX.

Grego-

Gregorius Paſchali, Demetiano, atque Caſtorio filijs Vrbici defenſoris de Tiburtina.

Officij noſtri eſt, orbatis ita parentibus ferre conſultum, quatenus aliquid de his, quæ iuſtè debentur Eccleſiæ, relaxantes, eorum poſsimus ſubuenire miſerijs. Quia igitur facta ſubtilius ratione, patrem veſtrum Vrbicum, quondam defenſorem, de patrimonio Sabinenſi atque Carſeolano, quod eius fuerat curæ commiſſum, conſtat in non modicam ſummam debitorem fuiſſe defunctum: & quãuis tota eius ſubſtantia per hoc ſit Eccleſiæ obligata, nec tamen ad ſatisfactionem eorum, quæ conſumpſerat, poſsit ſufficere; nos tamen pietatis intuitu, eiuſdem patris veſtri ſubſtãtiam vos habere ac poſsidere permittimus, atque concedimus; veſtris proculdubio vtilitatibus profuturam, ſecuri quòd nullus vos denuo de ijs, quæ vobis relaxantes conceſsimus, aliqua ratione concutiat.

Quod autem ad nomen attinet Defenſoris (quod verbum eſt, eiuſdem Gregorij epiſtolis frequentiſſimum) ſciendum eſt, eundem, Rectorem ſolitum à veteribus nominari. Nam Eccleſia Rom. à Petro Apoſtolo vrbis Epiſcopo inſtituta, atque eiuſdem, & Pauli Apoſt. ſacroſancto ſanguine conſecrata, vt principatum omnium obtinebat Eccle-

ſiarum

ſiarum, ſic maiores etiam opes ac facultates habebat, præcipue à Chriſtianis principibus, ſtudio religionis, initio à Conſtantino Magno facto, relictas. Siquidem & pretioſis omnis generis argenteis, aureiſque donarijs, & opimis ac luculentis agrorum, fundorumque poſſeſſionibus erat inſtructa, quæ per omnes fermè Europæ, Africæque prouincias diſperſæ, Romanæ eccleſię, ſiue Sanctorum Apoſtolorum patrimonia dicebantur; in Italia patrimonium Alpium Cottiarum, Tuſcię, Sabinenſe, Bruttiæ, & Lucanię, Calabriæ, & Sicilię; eaque per pręfectum, qui Rector patrimonij vocabatur, illuc à Pontifice miſſum gubernabantur. Ex quorum annuis vectigalibus Pontifex cum vetera vrbis templa reficiebat, atque in maiorem ſplendorem ornabat, tum frumenta publice coemebat, atq; in horrea publica ad neceſſarios vſus pauperum cōgerebat, vt ex probatis veterum annalium monumentis diligēter notauit Sigonius. Pręterea S. Greg. (uti auctor eſt Ioannes Diaconus) remotis à ſuo cubiculo laicis, clericos ſibi prudentiſſimos, conſiliarios, familiareſque delegit; nemo laicorum vllum palatij miniſterium, vel eccleſiaſticum patrimonium procurabat: ſed omnia eccleſiaſtici iuris munia, Eccleſiaſtici viri ſubibant Quamobrem nonnulli procerum ſe ſub religionis pretextu tonſurare cęperunt. Hęc poſtea cōſuetudo diu obtinuit in Rom. Eccleſia, vt eccleſiaſtica miniſteria omnia tum priuatim, tum publicè per ſolos clericos adminiſtrarētur: quare notarij, & defenſores ex clericorū quoq. ordine ſumebātur: quod tamē

etiam

etiam ante S. Gregorium à religioſis Pontificibus ſeruatum videtur: vt ex Zoſimi, & Gelaſii Pontificum reſcriptis apparet. Quod autem fuerit Defenſoris officium, breuiter deſcribitur à Pelagio in reſcripto ad Antoninam Patriciam, quæ poſtulabat monachum fieri defenſorem, vbi oſtendit officium monachi, & defenſoris conuenire non poſſe. Illis enim (inquit) quies propoſita eſt, oratio, labor manuum, at iis cauſarum cognitio, conuentiones, actus, publica litigia, & quæcunque vel eccleſiaſtica inſtituta, vel ſupplicantium neceſſitas poſcit. Ex decreto Vrbani patet procuratoris nomine intelligi quemlibet eccleſiaſticarum rerum adminiſtratorem, vt præpoſitum, œconomum, vicedominum: defenſoris nomine aduocatum, ſiue caſtaldum, & iudicem. Hos aduocatos, ſiue aduocatores dictos putas Panuinius, quorum quoſdam defenſores ſimpliciter & ſine adiectione, quoſdã defenſores regionarios appellatos, quòd ſcilicet in ſingulas eſſent regiones diſtributi: quorum primum vel principem, primicerium defenſorum nominatum, magnæ in Eccleſia Rom. exiſtimationis. Panuinius.

NOTAE.

CVM fabricaſſet Hadrianus palatium.] *Palatium nominat Trebellius Pollio, villam*

Aelius Spartianus.rei, qua de agitur, uox vtraque conuenit. quod vt planius intelligatur, vtriuſque vocabuli vim & naturam paulo altius repetendam cenſemus. Vrbs Roma ſuo ambitu montes (vt ait Plin. lib. III. *cap.*IV.) *ſeptem complexa eſt. Quare Varro lib.*V. *de lingua Latina diem ſeptimontium nominatum tradit ab heis ſeptem montibus, in queis ſita vrbs eſt. Propert.lib.*III. *eleg.* IX.

Septem vrbs alta iugis,toto quæ præſidet orbi.

*Martial.lib.*I.*epig.*CXLIV.*de ſuis hortis*

Hinc ſeptem dominos videre montes,
Et totam licet æſtimare Romam.

Statius IIII. *Silu. De* XVII. *conſulatu Domitiani;*

Et ſeptemgemino iactantior æthera pulſet
Roma iugo;pluſque ante alias Euandrius arces
Collis ouet.ſubiere noui Palatia faſces.

Hos colles,arces vocat Virg.ad finem II. *Georg.*
Septemque vna ſibi muro circundedit arces.

De ijs antea etiam diximus. Palatinus mons, ſiue Palatium,vrbe in eo primum condita, Romuli ſedes fuit,vnde & Romulius à Trebellio Pollione dictus eſt. Varro lib. IV.*de ling.lat. Quartæ regionis, inquit, Palatium, quòd palantes* (aliàs Palantei) *cum Euandro venerunt; aut quòd Palatini, qui & Aborigines ex agro Reatino, qui appellatur Palatium,ibi conſederunt. Sed hoc alij à Palatia vxore Latini putarunt. Eundem hunc locum à pecore dictum putant quidam; itaque Næuius Balantium appellat.*

pellat. hæc Varro. Sextus autem Pompeius, Palatium, inquit, mons Romæ appellatus eſt, quòd ibi pecus paſcens balare conſueuerit, vel quòd palare, id eſt, errare ibi pecudes ſolerent. Alij, quòd Hyperborei filia Palanto habitauerit, quæ ex Hercule Latinum peperit; alij, quòd Pallas Euandri filius ibi ſepultus ſit. Dionyſ. lib. I. *à Palantio, ſiue, vt Liuius lib.* I. *Virg. lib.* VIII. *à Palanteo vrbe Arcadica Palantium ſiue Pallãteum oppidũ conditũ ibi ab Euandro, vocatum perhibent, poſtea corrupte Palatium, deinde Palatinum montem appellatum. Solinus autem cap.* II. *Palatium vero nemo dubitauerit, quin Arcades habeat auctores, à quibus primùm Palanteum oppidum conditum, quod aliquandiu Aborigines habitarunt; ſed propter incommodum vicinæ paludis, quam præterfluens Tiberis fecerat, profecti Reate, poſtmodum reliquerunt. Palatium oppidum* XXV. *ſtadijs diſſitum à Reate prope viam Quintiam Aborigines habitaſſe Diony. lib.* I. *commemorat. Sunt, qui velint à balatibus ouium, mutata littera, vel à Pale paſtorali dea, vel (ut Silenus probat) à Palante Hyperborei filia, quam Hercules ibi compreſſiſſe viſus eſt, nomen monti adoptatũ. Polybius, vt Dionyſ. refert, eum à Palante Euandri nepote ibi mortuo & ſepulto dictum fuiſſe teſtatur. Hodie Palatiũ maius vocatur. In hoc monte ſedes Romani Imperij fuit, domuſq́. Auguſtalis, quæ Palatina diceba tur, id eſt, imperatoria. Suet. in Domit. cap.* XV. *Tactũ de cælo Capitolium, templumque Flauiæ gentis, item domus Palatina, & cubiculum ipſius. & alibi*

ſæpius. Ab Auguſto enim deinceps omnes fere Imperatores Romani in Palatio habitauerunt. Hinc factum eſt, vt cuiusuis principis aulam, aut inſignis & ſplendidi hominis amplam ac ſuperbam domum Palatium nominemus, quam vocem Cyrillus quoque græcus auctor à Palatino monte deriuat. Dion Nicæus in Auguſto; Porro, inquit, regiæ Palatia appellantur, non quòd ſint ita caſu & fortuito nominatæ, ſed quod Cæſar habitabat in Palatio, atque ibi ſuos milites habebat . Domus enim Romuli Palatium dicebatur à loco, in quo eſſet ædificata. Quamobrem licet alibi habitet Imperator, tamen domus, vbi habitat, palatij nomen habet, &c. Aulam palatinam, quam Imperatores poſtea incoluerunt, primus in ædibus Hortenſianis Cæſar Aug. inſtituit, idemque incendio conſumptam reſtituit Suet. cap. LVII. *Habitauit, inquit, primo iuxta Romanum forum ſupra ſcalas annullarias, in domo, quæ Calui oratoris fuerat: poſtea in Palatio: ſed nihilominus ædibus modicis Hortenſianis, et neque laxitate, neque cultu couſpicuis: vt in quibus porticus breues eſſent Albanarum columnarum, & ſine marmore vllo, aut inſigni pauimento conclauia. Ac per annos amplius* XL. *eodem cubiculo hyeme & æſtate manſit: quamuis parum ſalubrem valetudini ſuæ vrbem hyeme experiretur, aſſidueque in vrbe hyemaret, &c. Hoc palatium Tiberius Cæſar, & Caligula auxerunt: Alexander Aug. diætas adiecit, ceteri præterea Impp. aliquid ſemper addiderunt; ita, vt breui auguſtiſſimũ factum ſit. Cuius quidem ſplen-*

dorem

dorem ac maieſtatem vſque ad Valẽtiniani III. *Imp. tempora perduraſſe ex Sidonio Appollinare colligitur. Deinceps enim exactis Imperatoribus à Gothorum regibus, cum in ſolitudinem redactum eſſet, & inciperet ruinam minari; & inſtaurator deeſſet, atque à Romanis Pontificibus eius ornamenta ad exædificationẽ ſanctarum baſilicarum, martyrumque memorias transferrentur, in eum, qui nunc cernitur, ſtatum deuenit; vt ſuffoſionibus & ſubterraneis ſpecubus totum ſit quodammodo penſile, & aut ruinis deforme, aut hortis ac vinetis occupatum, vt nihil penitus antiqui ſpendoris, præter ingentes parietinas retinere videatur. Legimus præterea palatium Neruæ Imp. fuiſſe ad radices Quirinalis prope forũ tranſitorium; Fl. Conſtantini Aug. iuxta ædem Lateranenſem; Seſſoriani inter portam Labicanam, & S. Crucis baſilicam; Licinij Cæſaris, ſiue Licinianum apud S. Bibianæ nunc templum, ad vrſum pileatum; Decij Imperatoris in Viminali iuxta Olympiadis ac Nouati thermas; vt de Antonini Pij, ac Diocletiani palatijs ſileamus. Habitatio igitur Hadriani in agro Tiburti palatium recte nominatur, tum propter imperatoriam dignitatem, tum propter amplitudinem ac magnificentiam ædificij. Dicitur etiam nihilominus proprie villa, cum duobus ab Tibure mill. in mõtis dorſo conſtituta Romam atque occidentem ſolem & Aquilonem proſpectet. Eſt enim villa à Latinis appellata domus, ſiue habitatio ſuburbana, vel extra vrbem in fundo aut prædio, ſeu rure poſita: villa dicta, vt ſcribit*

*Varro lib.*I.*de re ruſtica cap.* II. *quòd à villico in eã conuehũtur fructus & euehuntur, cũ væneũt. Plin. lib.*XVIII.*cap.*VI.*de uillarũ poſitione, Modus, inquit, hic probatur, vt neque fundus villã quærat, neq. vil la fundũ. Non vt fecerunt iuxta, diuerſis eadẽ ætate exemplis L. Lucullus & Q. Scæuola; cum villa Scæ uolæ fundus careret, villa Luculli agro . Villa auctore Columella lib.* I. *cap.* VI. *in tres diuiditur partes, vrbanam, ruſticam, & fructuariam: Vrbana, quam Vitruuius lib.*VI.*cap.*VIII. *quòd vrbis domũ ementiretur, pſeudourbanam appellat, ea eſt villæ pars, quam ſibi paterfamilias reſeruat; prætorium vocatur à Martiale lib.*X.*epigr.*LXXVII.

Ad lapidem Torquatus habet prætoria quartũ;
Ad quartum breue rus emit Otacilius.

à Statio I.*Siluarũ de Tiburtino Manlij Vopiſci.*
...alternas ſeruant prætoria ripas

A Palladio lib. I. *cap.* VIII. *à Suet.in Aug. cap.* LXXII. *Ampla & operoſa prætoria grauabatur, & neptis quidem ſuæ Iuliæ profusè ab ea extructa etiã diruit ad ſolum: ſua vero quamuis modica, non tam ſtatuarum tabularumque pictarum ornatu, quàm xyſtis & nemoribus excoluit, rebuſque vetuſtate ac raritate notabilibus; qualia ſunt Capreis immanium belluarum ferarumque membra prægrandia, quæ dicuntur gigantum oſſa, & arma herorum. Et in Calig. cap.* XXXVII. *In extructionibus prætoriorum atque villarum, omni ratione poſthabita, nihil tam efficere concupiſcebat, quàm quod poſſe effici negaretur. De hac etiam villa vrbana Varro lib.*I.

de re

de re ruſt. cap. XIII. *Fructuoſior eſt certe fundus propter ædificia, ſi potius ad antiquorum diligentiã, quàm ad horum luxuriam dirigas ædificationem. Illi enim faciebãt ad fructuum rationem, hi faciunt ad libidines indomitas. Itaque illorum villæ ruſticæ erant maiores, quàm vrbanæ, quæ nunc ſunt pleræq. contrà. & paulo poſt; Item cetera vt eſſent in villa huiuſcemodi, quæ cultura quæreret, prouidebant; nunc contrà, vt villam vrbanam quàm maximam ac politiſſimam habeant, dant operam: ac cum Metelli ac Luculli uillis peſſimo publico ædificatis certant, &c. Villa ruſtica ea pars uillæ eſt, quam uillicus, uillaticaq́ue familia obtinet habitandam. Ibi ſunt bubilia equilia, ouilia, caprilia, cors, omne denique ruſticum inſtrumentum. Fructuaria pars continet cellam oleariam, torcularia, cellam uinariam, defrutoriam, fœnilia, paleariaque, & apothecas, & horrea. Villæ deſcriptionem habes apud Plin. lib.* II. *epiſt. ad Gallum, & lib.* V. *epiſt. ad Apollinarem, ubi fundum ſuum, quem in Tuſcis Apennino montium ſaluberrimo proximum habebat, non ſolum ob Cæli temperiem, regionis ſitum, & uillæ amœnitatem, Tuſculanis, Tiburtinis, Prænestiniſq́ ſuis præponit, ſed etiam quia ibi altius, inquit, otium & pinguius, eoq́ue ſecurius, nulla neceſſitas togæ, nemo acc erſit è proximo, placida omnia, & quieſcẽtia. Quod ipſum ſalubritati regionis, ut purius cælum, ut aer liquidior, accedit; ibi animo, ibi corpore maximè ualeo. Nam ſtudijs animum, uenatu corpus exerceo. Mei quoque nuſquam ſalubrius degunt. Vſq. adbuc*

*certe neminem ex ijs, quos eduxeram mecum (venia ſit dicto) ibi amiſi. Dij modo in poſterum hoc mihi gaudium, hanc gloriã loco ſeruent. Martialis quoque lib.*v *epig* CIV.*villam Baianam Fauſtini eleganter deſcribit.*

Et id dedicare vellet ritu illo nefario.] *Dedicare & dicare definiunt, dicendo deferre, ac obſequio dare alicui numini, atque in perpetuum conſtituere; In Pontificio iure pro conſecrare vſurpatur, vti etiam à Plin. lib.* x. *epiſt. ad Traianum De religioſo templo transferendo. Ante aduentum, inquit, meũ, domine, Nicomedienſes priori foro nouũ adiice re cœperunt, cuius in angulo eſt ædes uetuſtiſſima matris magnæ, aut reficiẽda aut trãsferẽda, ob hoc præcipue, quòd eſt multo depreſſior opere eo, quod nunc maxime ſurgit. Ergo cum quærerem, num eſſet aliqua lex dicta templo, cognoui alium hic, alium apud nos eſſe morem dedicationis. Diſpice ergo, domine, an putes ædem, cui nulla lex dicta eſt, ſalua religione poſſe transferri; alioqui commodiſſimum eſt, ſi religio non impedit. Plinio Traianus reſpondet, Potes, mi Secunde cariſſime, ſine ſollicitudine religionis, ſi loci poſitio videtur hoc deſiderare, ædem matris Deum transferre in eam, quæ eſt accommodatior. Nec te moueat, quòd lex dedicationis nulla reperitur, cùm ſolum peregrinæ ciuitatis capax non ſit dedicationis, quæ fit noſtro iure.*

Ex Ciceronis tamen oratione pro domo ſua, nonnihil intereſſe inter conſecrare ac dedicare, intelligi poteſt, & ſimul aliquid de nefario ritu cognoſci. eius

verba

verba ſunt, Hanc tu igitur dedicationem appellas, ad quam non collegium, non honoribus populi Romani ornatum pontificem, non deniq adoleſcentem quemquam, cum haberes in collegio familiariſſimos, adhibere potuiſti Videte igitur, Pontifices, quid ſtatuatis in mea cauſa de omnium fortunis. Verbone Pontificis putatis, ſi is poſtem tenuerit, & aliquid dixerit, domum vniuſcuiuſque conſecrari poſſe? an iſtæ dedicationes, & templorum, & delubrorum religiones ad honorem Deorum immortalium ſine vlla ciuium calamitate à maioribus noſtris conſtitutæ ſunt? et paulo poſt; Ergo ſi is Pontifex inimici ſui poſtem ædium tenuiſſet, & pauca verba feciſſet, ædes illius eſſent dedicatæ. Nihil loquor de pontificio iure, nihil de ipſius verbis dedicationis, nihil de religione, cærimonijs: diſſimulo me neſcire ea, quæ etiam ſi ſcirem, diſſimularem, ne alijs moleſtus, vobis etiam curioſus viderer: etſi effluunt multa ex veſtra diſciplina, quæ etiam ad noſtras aures ſæpe permanant. Poſtem teneri in dedicatione oportere videor audiſſe templi: ibi enim poſtis eſt, vbi templi aditus eſt, & valuæ ambulationis. Poſtes nemo vnquam tenuit in dedicando. et, Simulacrum autem, aut aram ſi dedicaſti, ſine religione loco moueri poteſt. & poſt pauca; Tu, tu, inquam, capite velato, concione aduocata, foculo poſito, bona tui Gabinij conſecraſti. Et, An conſecratio nullum habet ius, dedicatio eſt religioſa? quid ergo illa tua tũ obteſtatio tibicinis? quid foculus? quid preces? quid priſca verba voluerunt? ementiri, fallere,

abuti deorum immortalium numine ad hominum timorem quid uoluiſti? Nam ſi eſt illud ratum, mitto Gabinium; tua domus certe, et quicquid habes aliud, eſt Cereri conſecratum, &c. Dedicabant autem non ſolum templa, aras, ſimulacra, ſed etiam alia, ut obeliſcos, bibliothecam Plin. lib. I. *epiſt.* VIII. *Theatrum à ſe factum Pompeius ludis publicis, teſte in Cicer. Piſonianam Aſconio, dedicauit: urbem ſibi cognominem à ſe cōditam Conſtantinus Magnus: ſic enim Hieronymus in chron. poſt Euſebium; Conſtantinopolis, inquit, dedicatur pœne omnium urbium nuditate*(cunctarum ſiquidem vrbium ornamenta eò importata fuiſſe ſcribit Niceph. li. VII. ca. XLVIII. & XLIX) *Quinto Idus Maij, anno ſalutis* CCCXXXIV *Imperij eius* XXV. *Poſtero anno edicto Conſtantini, Deorum templa euerſa ſunt. fiebat uero dedicatio tēpli aut per Conſulem, aut per Imp. uerbis præeunte Pontifice: Digeſt. lib.* I. *tit.* VIII. *L.* IX *ſacra loca ſunt, quæ publice ſunt dedicata, ſiue in ciuitate ſint, ſiue in agro. Sciendum eſt, locum publicum tunc ſacrum fieri poſſe, cum Princeps eum dedicauit, uel dedicandi dedit poteſtatem.*

Idolorum ac Dæmonum, qui in Idolis habitabant, flagitare reſponſa.] *Idolon græcè, latine formam, imaginem, ſimulacrum, ſpectrum, effigiem, repræſentationem rei alicuius interpretantur. Cic.* I. *de finibus, & lib.* X*. epiſt.* X I. *ad Caſſium; & Pli. lib.* VII. *epiſt. ad Suram; Erat, inquit Athenis ſpatioſa & capax domus, ſed infamis & peſtilens; per ſilentium noctis ſonus ferri, & ſi attenderes acrius,*

ſtrepitus,

ſtrepitus vinculorum longius primò, deinde proximò reddebatur; mox apparebat idolon, ſenex macie & ſquallore confectus, promiſſa barba, horrenti capillo, cruribus cõpedes, manibus catheras gerebat, quatiebatque. Lucianus vmbram Herculis apud inferos ſignificare volẽs, hac vſus eſt voce. Cacæ nimirum mortalium mentes, & diuinæ lucis expertes, ac denſiſſimis errorum tenebris circumfuſæ, perditorum hominum ac mortuorum, ne dicam beſtiarum rerumque inanimarum, ſimulacra, in quibus Dæmones loquebantur, habuere pro Deis. Qua de re Tertullianus cap. x. lib. de ſpectaculis In mortuorũ, inquit, idolis Dæmonia conſiſtunt. Et lib. de idololatria, Idolum aliquandiu retro non erat. Prius, quàm huius monſtri artifices ebulliſſent, ſola templa, et vacuæ ædes erant, ſicut in hodiernum quibuſdam locis vetuſtatis veſtigia permanent. Tamen idololatria agebatur, non in iſto nomine, ſed in iſto opere. Nam & hodie extra templum, & ſine idolo agi poteſt. At vbi artifices ſtatuarum, & imaginum, & omnis generis ſimulacrorum Diabolus ſeculo intulit, rude illud negotium humanæ calamitatis & nomen, de Idolis conſecutum eſt & profectum. Exinde iam caput facta eſt idololatriæ ars omnis, quæ idolum quoquomodo edit. Neque enim intereſt, an plaſtes effingat an cælator exſculpat, an phrygio detexat. quia nec de materia refert, an gypſo, an coloribus, an lapide, an ære, an argento, an filo formetur idolum. Quando enim & ſine idolo idololatria fiat: vtique cum adeſt idolum, nihil intereſt, quale ſit, qua de materia,

teria, qua de effigie; ne quis putet id ſolum idolum habendum, quod humana effigie ſit conſecratum. Ad hoc neceſſaria eſt vocabuli interpretatio. εἶδος Græce formam ſonat, ab eo per deminutionē εἴδωλον deductum, æque apud nos formulam fecit. Igitur omnis forma vel formula idolum ſe dici expoſcit. Inde idololatria, omnis circa omne idolum famulatus & ſeruitus. Inde & omnis idoli artifex, eiuſdem & vnius eſt criminis, niſi parum idololatriam populus admiſit, quia ſimulacrum vituli, & non hominis ſibi conſecrauit. Idolum tam fieri, quàm coli Deus prohibuit, &c. B. Cyprianus Martyr libro de Idolorum vanitate; Deos non eſſe, quos colit vulgus, hinc notum eſt. Reges olim fuerunt, qui ob regalem memoriam coli apud ſuos, poſtmodum etiam in morte cœperunt: Inde illis inſtituta templa; inde ad defunctorum vultus per imaginem detinendos expreſſa ſimulacra quibus & immolabant hoſtias, et dies feſtos dando honores celebrabant. Inde poſteris facta ſunt ſacra, quæ primis fuerant aſſumpta ſolatia. Deinceps Cyprianus oſtendit neque exteris, neque Romanis quicquam potuiſſe prodeſſe illorum cultū; neque illis, ſed ſorti potius adſcribendam Romani imperij potentiam; quippe quæ & viciſſitudine quadā contigerit, & ſuam ipſius originem erubeſcat. Neq. vero auſpicijs, augurijſue quicquam tribuendum, ex vano illorum euentu conſtare: quin potius Dæmonum has eſſe præſtigias, uel ipſis poetis, Socrate, Platone, Triſmegiſto, & Hoſtane teſtibus, qui & vnum Deum, & dæmonas agnouerint. Totus hic Cypriani

liber

liber diligenter eſt & accurate legendus: in quo idololatriæ origo, cauſæ, & incrementa explicantur. Multa quoque de dijs Rom oraculis, delubris, diuinationibus, augurijs, et reliquis eiuſmodi cognitu digniſſima à ſanctiſſimo viro enarrantur. Et demũ antiquorum ſuperſtitio, et chriſtianæ fidei puritas demonſtrantur. Similia Clemẽs Alexandrinus in protreptico. Iuſtinus Martyr II. *Apo. ethnicos irridet, qui pictorum amicas, aut ſtatuariorum cynædos & amaſias adorarent. Praxiteles cum Veneris Gnidiæ ſignum faceret, C atinæ, quam amabat, imitatus eſt formam: vt miſeri homines Praxitelis amicæ diuinos haberent honores. Pictores quoque in Venere pingenda Phrynes, famoſiſſimi ſcorti, pulchritudinem exprimebant. Athenis Mercurio Alcibiadis, quem formoſiſsimum hiſtoriæ produnt, ſpeciem & ſimilitudinem affingebant. Multos præterea* Deos *belluarum coluerunt effigie: Aeſculapiũ ſpecie anguis, Mercurium canis, Panem hirci, Iouem cygni, Apin, Tauri. Herod. Plin.* Diod. *Iuuenalis Sat.* XV. *Tertull. Cypr. Lactant. Auguſt. & quod miſerandum, lucos alij, Solẽ Perſæ, Lunã Arabes, ignem Chaldæi, Syri piſces, Aegyptij cepas, porros, ſimias, crocodilos, ſerpentẽ, piſcem, hircũ, canẽ: atq. adeo, quod omnem ſtuporẽ & amentiã ſuperat, cloacã, crepitum ventris, quodq. ſub viri ventre natura conſtituit, adorabant. Athenienſes Contumeliæ, Impudicitiæ, Famæ Appetitioni, Miſericordiæ, Pudori; Lacedæmonij Morti & Timori: Romani Volutinæ, Cunine, Fabulinæ, ſiue Fabulino, Proſæ vel*

Porſæ,

Porſæ, Poſuertæ, uel Poſtuertæ, Rubigini, Auerrūco, Timori, Pallori, Cardeæ, ſiue Carnæ, Cloacinæ, Tempeſtati, Febri, Bubonæ aras conſecrarunt. Apud Gades Paupertatis, & Senectæ, Apud Oetæos Herculis Culicini ſiue Conopij ſacella exſtabant. Scythæ Acinacem, Arabes Lapidem Perſæ fluuiū venerabuntur. Ita Dæmonas oculos mortalium perſtringere ait Cyrillus lib. III. *in Iulianum, vt non modo ſerpens alloquutus ſit Euam, equus Achillē; ſed & Caucaſum flumen Pythagoræ ſalutem dixiße, arbores & animantes Apollonio loquutas, Dodonæam quercum, taurum Rhodium, & menſas apud Gymnoſophiſtas, quas Apollonius ille Tyaneus à ſe viſas teſtatur. Caput capræ diabolo immolatum ac dedicatum Longobardi in Campania ſubmiſſis ceruicibus adoraße, & eos, qui venerari recuſarēt, crudeliter obtruncaſſe, à* B. *Greg. lib.* III. *dial. cap.* XXVIII. *& à Paulo Aquileienſi narrantur, M* R. VI. *Non. Martias. In Icaro Dianæ ſpecies rude lignum erat, & Cytheroniæ, Iunonis Theſpiæ truncus exciſus: & Iunonis Samiæ primo quidem aſſer, poſtea, cum eſſet Archon Procleus, effícta eſt in ſtatuæ formam. Romæ diu Martis ſignum haſta fuit, auctore Varrone, cum nondum exorti eßent ſimulacrorum opifices, quorum induſtria atque ingenio & ars floruit, & ſuperſtitio atq. error excreuit. Clem. Alex. in Protrept. & Clemens Rom. in V. Recog. Auguſt. lib.* IV. *de ciuit. cap.* XXXI. *apud quem Varro non dubitat hūc locum ita concludere, vt dicat; Qui primi ſimulacra Deorum populis poſuerunt, eos ciuitati-*

tatibus ſuis & metum dempſiſſe, & errorem addidiſſe, prudenter exiſtimans Deos poſſe in ſimulacrorum ſtoliditate contemni; & vtique antè ſine ſimulacris intelligi vult errorem fuiſſe. Dæmonum appellatio et definitio ab Auguſt. lib. VIII. *de ciuit. cap.* XXII. *& lib.* IX. *cap.* XX. *explicatur;* Dæmones Græce à ſcientia nominantur. eſt enim in eis ſcientia ſine caritate; illa inflat, hæc ædificat. Non eſt autem credendum, quod Apuleius perſuadere conatur, ita eſſe medios dæmones inter deos & homines, tanquam nuncios & interpretes, qui hinc ferant petitiones noſtras, inde referant deorum ſuppetias: ſed eſſe ſpiritus nocendi cupidiſſimos, à iuſtitia penitus alienos, ſuperbia tumidos, inuidentia liuidos, fallacia callidos, qui in hoc quidẽ aere habitãt, quia de cæli ſuperioris ſublimitate deiecti, merito irregreſſibilis transgreſſionis in hoc ſibi congruo velut carcere prædamnati sũt. &c. *Lactantius item lib.* II. *cap.* XV. XVI. XVII. Dæmonas Grãmatici dictos aiunt quaſi δαήμονας, id eſt, peritos, ac rerum ſcios. hos autem putant Deos eſſe. Sciunt illi quidem futura multa, ſed non omnia; quippe quibus penitus conſilium Dei ſcire non licet, & ideo ſolent reſponſa in ambiguos exitus temperare. Magorum quoque ars omnis ac potentia horum aſpirationibus conſtat; à quibus inuocati, viſus hominum præſtigijs obcæcantibus fallunt, vt non videant ea, quæ ſunt: & videre ſe putent illa, quæ non ſunt. Hi, vt dico, ſpiritus contaminati

taminati ac perditi per omnem terram vagantur, & ſolatium perditionis ſuæ perdendis hominibus operantur. Itaque omnia inſidijs fraudibus, erroribus complent. Adhærent enim ſingulis hominibus, & omnes oſtiatim domos occupant, ac ſibi Geniorũ nomẽ aſſumunt. Sic enim latino ſermone dæmones interpretantur. Hos in ſuis penetralibus conſecrant, his quotidie merum profundunt, & ſcientes, dæmonas venerantur, quaſi terreſtres deos, & quaſi depulſores malorum, quæ ipſi faciunt, & irrogãt. Qui, quoniam ſunt ſpiritus tenues, & incomprehenſibiles, inſinuant ſe corporibus hominum, & occulte in viſceribus operti, valetudinem vitiant, morbos citant, ſomnijs animos terrent, mentes furoribus quatiunt, vt homines his malis cogant ad eorum auxilia decurrere. Quarum omnium fallaciarum ratio expertibus veritatis obſcura eſt: prodeſſe enim eos putant, cum nocere deſinũt, qui nihil aliud poſſunt, quàm nocere. Dicat fortaſſe aliquis, colendos eſſe ergo, ne noceant, ſi quidem poſſunt nocere. Nocent illi quidem, ſed ijs, à quibus timentur, quos manus Dei potens & excelſa non protegit, qui profani ſunt à ſacramento veritatis. Iuſtos autem, id eſt cultores Dei, metuunt cuius nomine adiurati de corporibus excedunt; quorum verbis tanquam flagris verberati, non modo dæmonas ſe eſſe confitentur, ſed etiam nomina ſua addunt, illa, quæ in templis adorantur; & quod plerunque coram

culto-

cultoribus ſuis faciunt, non vtique in opprobrium religionis, ſed honoris ſui; quia nec Deo, per quem adiurantur, nec iuſtis, quorum voce torquentur, mentiri poſſunt. Itaq. maximis ſæpe vlulatib. editis, verberari ſe, & ardere, & iã iamq. exire proclamant; tantum habet Dei cognitio ac iuſtitia poteſtatis. Cui ergo nocere poſſunt, niſi ijs, quos habent in ſua poteſtate? Eorũdem Dæmonum inuenta ſunt aſtrologia, & aruſpicina, & auguratio, & ipſa, quæ dicuntur oracula, & necromantia, & ars magica, & quicquid præterea malorum exercent homines vel palam, vel occulte; quæ omnia per ſe falſa ſunt; ſed ijdem ipſi auctores præſentia ſua faciunt, vt vera eſſe credantur. Ita hominũ credulitatẽ mentita diuinitate deludunt, quòd illis verũ aperire nõ expedit. Hi ſunt, qui imagines, & ſimulacra fingere docuerũt, qui, vt hominũ mẽtes à cultu veri Dei auerterent, & fictos mortuorũ regũ vultus, & ornatos exquiſita pulchritudine ſtatui cõſecrariq. fecerũt, & illorũ ſibi nomina, quaſi perſonas aliquas, induerũt. Sed eos magi, & ij, quos vere maleficos vulgus appellat, cũ artes ſuas execrabiles exercẽt, veris ſuis nominibus cient, illis cæleſtib. quæ in litteris sãctis leguntur. Hi porro inceſti, ac vagi ſpiritus, vt turbent omnia, & errores humanis pectoribus infundant, ſerũt, ac miſcẽt falſa cũ veris. Ipſi enim, cæleſtes multos finxerunt eſſe, & vnum regem omnium Iouem, eo quòd multi ſunt ſpiritus angelorum in cælo, & vnus

parens, ac dominus omnium Deus: ſed veritatem mentitis nominibus ex oculis abſtulerunt. Nam Deus neque nomine, cum ſolus ſit, eget; neque angeli, cum ſint immortales, dici ſe Deos aut patiuntur, aut volunt; quorum vnum ſolumque officium eſt, ſeruire nutibus Dei, nec omnino quicquam niſi nutu eius facere. Itaque nullum honorem ſibi tribui volunt, quorum honor in Deo eſt. Illi autem, qui deſciuerunt à Dei miniſterio, quia ſunt veritatis inimici, & præuaricatores Dei, nomen ſibi & cultum Deorum vẽdicare conantur, vt hominibus noceant; quos nituntur à cultura & notitia veræ maieſtatis auertere, ne immortalitatem adipiſci poſſint, quam ipſi ſua nequitia perdiderunt. Offundunt itaque tenebras, & veritatem caligine obducunt, ne dominum, ne patrem ſuum norint: & vt illiciant, facile in templis ſe occulunt, & ſacrificijs omnibus præſto adſunt, eduntq. ſæpe prodigia, quibus obſtupefacti homines, fidem commodent ſimulacris diuinitatis ac numinis. In oraculis autem vel maximè fallunt, quorũ præſtigias profani à veritate intelligere non poſſunt, ideoque ab illis attribui putant & imperia, & victorias, & opes, & euentus proſperos rerum: denique ipſorum nutu ſæpe rempub. periculis imminentibus liberatam; quæ pericula & reſponſis denuntiauerunt, & ſacrificijs placati auerterunt. Sed omnia iſta fallaciæ ſunt. Nam cum diſpoſitiones Dei præſentiant, quippe qui miniſtri eius

fuerunt

fuerunt, interponunt ſe in his rebus, vt quæcunque à Deo vel facta ſunt, vel fiunt, ipſi potiſſimum facere aut feciſſe videantur; & quoties alicui populo, vel vrbi ſecundum Dei ſtatutum boni quid impēdet, illi ſe id facturos vel prodigijs, vel ſomnijs, vel oraculis pollicentur, ſi ſibi templa, ſi honores, ſi ſacrificia tribuantur: quibus datis, cum illud acciderit, quod neceſſe eſt, ſummam ſibi pariunt veneratione. Hinc templa deuouentur, & nouæ imagines conſecrantur, mactantur greges hoſtiarum. Sed cum hæc facta ſunt, nihilominus tamen & vita, & ſalus eorum, qui hæc fecerint, immolantur. Quoties autem pericula impendent, ob aliquam ſe ineptam & leuem cauſam profitentur iratos: ſed illorum ſunt iſti luſus, qui ſub nominibus mortuorum deliteſcentes, viuentibus plagas tendunt. Itaque ſiue illud periculum, quod imminet, vitari poteſt, videri volunt id placati auertiſſe: ſiue non poteſt, id agũt, vt propter illorum contemptum accidiſſe videatur. Itaq. ſibi apud homines, qui eos neſciunt, auctoritatem ac timorem pariunt. Hac verſutia, & his artibus notitiam veri ac ſingularis Dei apud omnes gentes inueterauerunt. Suis enim vitijs perditi ſæuiunt, & graſſantur, vt perdant. Idcirco enim humanas hoſtias excogitauerunt, ipſi hoſtes humani generis, vt quàm multas deuorarent animas. *& cap.* XVIII. Dicet aliquis cur ergo hæc Deus fieri patitur? nec tam malis ſuccurrit erroribus?

vt mala cum bonis pugnent, vt vitia ſint aduerſa virtutib. vt habeat alios, quos puniat, alios, quos honoret. vltimis enim temporibus ſtatuit de viuis, ac mortuis iudicare. Docui religiones deorum triplici ratione vanas eſſe: vna, quòd ſimulacra ipſa, quæ coluntur, effigies ſint hominum mortuorum. eſt autem peruerſum & incõgruens, ut ſimulacrum hominis à ſimulacro Dei colatur: colit enim, quod eſt deterius & imbecillum. Tum inexpiabile facinus eſſe, deſerere viuentem, ut defunctorum monumentis ſeruias, qui nec vitam, nec lucẽ dare cuiquam poſſunt, qua ipſi carent: nec eſſe alium quenquam Deũ, præter vnum, cuius iudicio ac poteſtati omnis anima ſubiecta eſt. Altera, quòd ipſæ imagines ſacræ, quibus vaniſſimi homines ſeruiunt, omni ſenſu carent, quoniam terra ſint. Quis autem nõ intelligat, nefas eſſe, rectum animal curuari, vt adoret terram, quæ iccirco pedibus noſtris ſubiecta eſt, ut calcanda nobis, non adoranda ſit? Tertia, quòd ſpiritus, qui præſunt ipſis religionibus, condemnati & abiecti à Deo, per terram volutentur, qui non tantum nihil præſtare cultoribus ſuis poſſint, quoniam rerum poteſtas penes vnum eſt, verum etiam mortiferis eos illecebris, & erroribus perdant: quoniã hoc illis quotidianũ eſt opus, tenebras hominibus obducere, ne quæratur ab illis verus Deus. Manifeſtũ eſt igitur, eos, qui vel mortuis ſupplicant, vel terram venerantur, vel ſpiritibus immundis animas

mas ſuas mancipant, rationem hominum non tenere: eoſque impietatis ac ſceleris ſui ſupplicia penſuros, qui rebelles aduerſus parentem generis humani Deũ, ſuſceptis inexpiabilibus ſacris fas omne violarunt. *De ipſorum autem actibus, vaticinijs, & oraculis idem Tertullianus in Apologet. aduerſus gentes cap.* XXII. *ſic diſſerit,* Omnis ſpiritus ales eſt; hoc Angeli & dæmones. Igitur momento vbique ſunt. Totus orbis illis locus vnus eſt. Quid vbique geratur, tam facile ſciunt, quàm enunciãt: velocitas diuinitas creditur, quia ſubſtãtia ignoratur. ſic & auctores interdum videri volunt eorum, quæ annunciant, & ſunt plane malorum nonnunquam, bonorum tamẽ nunquam. Diſpoſitiones etiam Dei, & nunc prophetis concionantibus excerpunt, & nunc lectionibus reſonantibus carpunt. Ita & hic ſumentes quaſdam temporum ſortes, æmulantur diuinitatem, dum furantur diuinationem. In oraculis quo ingenio ambiguitates temperent in euentus, ſciunt Crœſi, ſciunt Pyrrhi. Habent de incolatu aeris, & de vicina ſiderum, & de commercio nubium cæleſtes ſapere paraturas, vt & pluuias, quas iam ſentiunt, repromittant: benefici plane & circa curas valetudinum; lædũt enim primo, de hinc remedia præcipiũt ad miraculum noua, ſiue contraria: poſtquam deſinunt lædere, & curaſſe creduntur. Hæc Tertullianus. *Sane dæmones & magos rerum cauſarumque naturalium peritia curationes adhibere poſ-*

re poſſe etiã *Iuſtinus Martyr affirmat quæſt.* XXIV *Aug.lib.de diuin.dæmonũ cap.* III. Dæmones, inquit, duabus rebus præditi, acrimonia ſenſus & celeritate motus, multo antè cognita prænunciant, vel nunciant, quæ homines pro ſenſus terreni tarditate mirentur. Acceſſit etiam dæmonibus per tam longum tempus, quo eorum vita protenditur, rerum longe maior experientia, quàm poteſt hominibus propter breuitatem vitæ prouenire. Per has efficacias, quas aerei corporis natura ſortita eſt, non ſolum multa futura prædicunt dæmones, verum etiam multa mira faciunt. Quæ quoniam homines dicere ac facere non poſſunt, eos dignos quidem quibus ſeruiant, & quibus diuinos honores deferant, arbitrãtur, inſtigante maxime vitio curioſitatis, propter amorem felicitatis falſæ ac terrenæ excellentiæ temporalis. *Item cap.* V. *& lib.* III. *de Trinit.cap.* V. *&* IX. *& D.Thomas pluribus locis. Abdias vero lib.* VIII. *de certamine Apoſt. Dæmones oſtendit non tam ſanando ſubuenire, quàm lædere deſinendo, ita, vt, cum vexare deſierint, curaſſe credãtur. Lact.lib.* II. *cap.* XVI. *Irenæus lib.* II. *cap.* LVII. *Hieronymus Dæmones ait, ſi morbos expellant, eos duntaxat expellere, quos immiſerint. Et Greg.* XXVI. *quæſt. vltima, fideles admonet, vt ſciant magicas artes, incantationeſque nullis omnino morbis aliquid leuationis afferre, neque beſtijs claudicantibus aut ægris mederi. Idem docet Auguſt. lib.de ciuit.et* XXVI. *q.* II. *can. Qui ſine, ubi eiuſmodi curatio-*

nem

nem docetur mortem potius dicendam eſſe, quàm uitam. Veriſsimè de hoc humani generis aduerſario in ſacris litteris cap. XLI. *Iob. dicitur, Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei, qui factus eſt, ut nullum timeret: omne ſublime uidet, ipſe eſt rex ſuper uniuerſos filios ſuperbiæ: ſed poſtea quàm fortior ſuperuenit, & eum uicit, armiſque exuit; quantopere ſæuiſsimi hoſtis fracta & debilitata uis ſit, tum energumenorum ſanatio & libertas, tum Idolorum taciturnitas & occaſus declarat. De energumenis Tertull. in apolog. aduerſus gẽtes cap.* XXIII. *De phãtaſmatibus magicæ, et Dæmonijs.* Edatur hic aliquis ſub tribunalibus veſtris, quẽ à Dæmone angi cõſtet; iuſſus à quolibet Chriſtiano loqui, ſpiritus ille tã ſe dæmonẽ cõfitebitur de vero, quã alibi deum de falſo. Atq. producatur aliquis ex ijs, qui de Deo pati exiſtimantur [*cerites vel ſiderati*] qui aeris maleficum numen de nidore concipiunt [*quoties videlicet ſuper prunas aſini capite aſſato futurorum eliciendorum cauſa peraguntur neſcio qui aniles & execrabiles ritus*] qui ructando curãtur, qui anhelando profantur. Iſta ipſa vis cæleſtis, pluuiarum pollicitatrix; iſte ipſe Aeſculapius, medicinarum demonſtrator, niſi ſe dæmones confeſſi fuerint, chriſtiano mentiri non audentes, ibidem illius Chriſtiani procaciſſimi ſanguinem fundite. Quid iſto opere manifeſtius? quid hac probatione fidelius? ſimplicitas veritatis in medio eſt, virtus illis ſua aſſiſtit, nihil ſuſpicari licebit, magia, aut aliqua

eiuſmodi fallacia fieri. Dictis non ſteris, ſi oculi veſtri,& aures permiſerint vobis. Quid autem niti poteſt aduerſus id, quod oſtenditur nuda ſynceritate? Si altera parte verè Dei ſunt, cur ſe ſe dæmones mentiuntur? an vt vobis obſequantur? Iam ergo ſubiecta Chriſtianis diuinitas veſtra, nec diuinitas deputanda eſt, quæ ſubdita eſt homini,&, ſi quid ad dedecus facit, æmulis ſuis. Si altera parte dæmones ſunt vel angeli, cur ſe alibi pro Dijs agere reſpondent? Nam ſicut illi, qui dij habentur, dæmones ſe dici noluiſſent, ſi verè dij eſſent, ſcilicet ne de maieſtate ſe deponerent: Ita & iſti, quos directo dæmones noſtis, non auderent alibi pro dijs agere, ſi aliqui omnino dij eſſent, quorum nominibus vtuntur. Verentur enim abuti maieſtate ſuperiore, ſine dubio, & timendorum: adeo nulla eſt diuinitas iſta quam tenetis: quia ſi eſſet, neque à dæmonijs affectaretur in confeſſione, neque à Dijs negaretur. Cum ergo vtraque pars concurrit in confeſſionem, Deos eſſe negans, agnoſcite vnum genus eſſe, id eſt dæmonas. Verum vtrobique iam Deos quærite: quos enim præſumpſeratis, dæmonas eſſe cognoſcitis. Eadem vero opera noſtra ab eiſdem Dijs veſtris nō tantum hoc detegentibus, quòd neque ipſi dij ſunt, neque vlli alij, etiam illud in continenti agnoſcitis, qui ſit vere Deus, & an ille, & an vnicus, quem Chriſtiani profitemur, & an ita credendus, colēduſque, vt fides, vt diſciplina diſpoſita eſt Chriſtia-

norum,

norum, &c. *Ad hunc locum illud etiam referri poteſt, quod Euſeb. lib.* VII. *Eccleſiaſt. Hiſt. cap.* XXV. *de B. Greg. Epiſc. Neocæſarien. memorat his uerbis:* Iter ei fuiſſe quondam per Alpes dicitur, hyemis tempore; & cum perueniſſet ad ſummum Alpiũ iugum, niuibus repleta erant omnia, nullum vſquam diuerſorium, fanum ibi tantum Apollinis erat, cui ſuccedens, tranſacta nocte diſceſsit. Sacerdos vero erat quidam fani eius, cui conſulere ſimulacrum Apollinis mos erat, & reddere reſponſa poſcentibus, ex quo ei etiam alimoniæ quæſtus eſſe videbatur. Igitur poſt digreſſum Gregorij, offerre conſulta, & reſponſa poſcere Sacerdos acceſſit ex more: nihil inde reſponſi veniebat: Repetit victimas, ſilentium permanet. Iterum atque iterum litat, ſurdis ingerit fabulam. Cumque ſtupore noui ſilentij æſtuaret Sacerdos, nocte ei aſſiſtens dæmonium, dicit in ſomnis: Quid me illic inuocas, quo iam venire non poſſum? percontanti cauſam, aduentu ſe Grægorij dicebat expulſum. quid nunc remedij daretur, cum perquireret, ait, non aliter ſibi licere ingredi locum illũ, niſi Gregorius permiſiſſet. Quibus auditis ſacerdos occupat viam, multa apud ſemetipſum voluens, atque animo recuſante pertractans, peruenit ad Gregorium; adortuſque eum, rem pandit ex ordine, humanitatis ſuæ atque hoſpitalitatis admonuit, querelam depulſi numinis promit, ademptam facultatem ſui quæſtus deplorat, ac reddi ſibi omnia

in

in priſtinum ſtatum depoſcit. At ille nihil moratus, ſcribit epiſtolam in hæc verba. Gregorius Apollini, permitto tibi redire ad locum tuum, & agere quæ conſueuiſti. Hanc epiſtolam ſacerdos accepit, & ad fanum defert, poſitaque ea iuxta ſimulacrum adfuit Dæmon, ac dedit reſponſa poſcenti: Tum ille in ſemetipſum conuerſus, ait; Si Gregorius iuſſit, & Deus iſte diſceſſit, nec potuit redire niſi iuſſus, & rurſum iubente Gregorio reſtitutus eſt; quomodo non multo melior iſto Gregorius, cuius hic obtemperat iuſſis? Clauſis ianuis fani, deſcendit ad Gregorium, epiſtolam ſecum, quam acceperat, referens, omnemque apud eum rei geſtæ ordinem pandens: ſimulque ſe ad pedes eius proſternens, rogat, vt illi ſe Deo offerat, cuius virtute Dijs gentium Gregorius imperabat. Cumque enixius & pertinacius perſiſteret, catechumenus ab eo factus eſt. Et cum ſe vitæ caſtiſſimæ & abſtinētiſſimæ, derelictis omnibus non ſolum erroribus Dæmonum, ſed & ſeculi actibus, mācipaſſet, etiam baptiſma conſecutus eſt, & tantum vitæ merito ac fidei virtute profecit, vt ipſe B. Gregorio in Epiſcopatu ſucceſſor exſtiterit. *Meminit & Nicephorus lib.*VI.*cap.*XVII. *Ille etiam adoleſcēs oratione ſanctæ Hagnes Virginis reuocatus ad vitam, hanc ipſam profeſſus eſt veritatem, cum in publicum prodiens, exclamauit templa Deorum eſſe Dæmonum domicilia. Vnde Tertull. eodem capite;* Atqui, ait, omnis hæc noſtra in illos immudos ſpiritus

ritus dominatio & poteſtas de nomine Chriſti valet, & de commemoratione eorum, quæ ſibi à Deo per arbitrum Chriſtum imminentia expectant; Chriſtum timentes in Deo, & Deum in Chriſto, ſubijciuntur ſeruis Dei & Chriſti. Ita de contactu, deque afflatu noſtro, contemplatione, & repræſentatione ignis illius correpti, etiam de corporibus noſtro imperio excedunt inuiti, & dolentes, & vobis præſentibus erubeſcentes. Credite illis, cum verum de ſe loquuntur, qui mentientibus creditis. Nemo ad ſuum dedecus mentitur, quin potius ad honorem. Magis fides prona eſt aduerſus ſemetipſos confitentes, quàm pro ſemetipſis negantes. Hæc deniq. teſtimonia Deorum veſtrorum, Chriſtianos facere conſueuerunt, quia plurimum illis crēdēdo in Chriſto Domino credimus. Ipſi litterarum noſtrarum fidem accendunt, ipſi ſpei noſtræ fiduciam ædificant. Colitis illos, quod ſciam, etiam de ſanguine Chriſtianorum. Nollent itaque vos tam fructuoſos, tam officioſos ſibi, amittere, vel ne à vobis quandoque Chriſtianis fugentur, ſi illis ſub Chriſtiano volente vobis veritatem probare, mentiri liceret. Omnis iſta confeſſio illorum, qua ſe Deos negant eſſe, quaque non alium Deum reſpondent, præter vnum, cui nos mancipamur, ſatis idonea eſt ad depellendum crimen læſæ, maximè Romanæ, religionis. Si enim non ſunt Dei pro certo, nec religio pro certo eſt: ſi religio non eſt, quia nec

dij, nec pro certo rei ſumus læſæ religionis. At econtrario in vos exprobratio reſultabit, qui mendacium colentes, veram religionẽ veri Dei non modo negligendo, quin inſuper expugnando Deum verum, committitis crimen veræ irreligioſitatis. Nam vt conſtaret illos Deos eſſe, nonne conceditis de æſtimatione communi aliquem eſſe ſublimiorem & potentiorem, velut principem mundi, perfectæ peritiæ & maieſtatis? nam & ſic plerique diſponunt diuinitatem, vt imperium ſummæ dominationis eſſe penes vnum, officia eius penes multos velint, vt Plato Iouem magnum in cælo comitatum exercitu deſcribit deorum pariter, & dæmonum. Itaq. oportere & procurantes, & præfectos, & præſides pariter ſuſcipi. & tamen quod facinus admittit, qui magis ad Cæſarem promerendum, & operã & ſpem ſuam transfert, nec appellationem Dei ita, vt Imperatoris, in aliquem principem confitetur; cum capitale eſſe iudicetur, alium præter Cæſarem & dicere, & audire? Colat alius Deũ, alius Iouem, alius ad cælum ſupplices manus tendat, alius ad aram fidei manus, alius ſi hoc putatis, nubes numeret orans, alius lacunaria, alius animam ſuam Deo ſuo voueat, alius hirci. Videte enim, ne & hoc ad irreligioſitatis elogium cõcurrat, adimere libertatem religionis, & interdicere opinionem diuinitatis, vt non liceat mihi colere quẽ velim, ſed cogar colere quẽ nolim. Nemo ſe ab inuito coli vellet, ne homo quidẽ;

atq.

atque ideo & Aegyptijs permiſſa eſt tam vanæ ſuperſtitionis poteſtas, auibus & beſtijs conſecrandis,& capite damnandi, qui aliquem huiuſmodi Deum occiderit. Vnicuique etiam prouinciæ,& ciuitati ſuus Deus eſt; vt Syriæ Aſtartis, [*Giraldus Syntag.* 1. *inter deos topicos, locorum, regionũ, vrbium tutelares & cuſtodes Aſtartem numerat, quæ faciem habuerit mulieris, reliquum vero corpus piſcis: Theophil. pro Venere accipit, quæ colebatur aſtri figura. D. Au. Iunonem putat; utranque exiſtimatam eſſe Plutarchus in Vita M. Craſſi teſtatur. Lucianus, qui hac de re uarias opiniones collegit, Syriam Deam Lunam uidetur intelligere, in opere de Dea Syria*] ut Arabiæ Diaſares, ut Norico Tibilenus, ut Africæ Cæleſtus [*Vranus à Lactantio dicitur*] ut Mauritaniæ reguli ſui [*Lactan.* 1. *cap.* xv. *Cyprianus martyr libro de idolorum uanitate*] Romanas, ut opinor, prouincias edidi, nec tamen Romanos dominos earum, quia Romæ non magis colantur, quàm qui per ipſam quoque Italiam municipali conſecratione cenſentur, Cruſtuminẽſium Deluẽtinus, Narnienſium Viridianus, Aſculanorum Ancharia, Volſinienſium Nerſia, Otriculanorum Valentia, Sutrinorum Murcea, Faliſcorum Iuno Curitis, & pater Curis, unde accepit cognomẽ Iuno. Sed nos ſoli arcemur à religionis proprietate, lædimus Romanos, nec Romani habemur, quia non Romanorum Deum colimus. Bene quòd omnium Deus eſt, cuius, velimus nolimus, omnes

nes ſumus. Sed apud vos quoduis colere ius eſt præter Deum verum, quaſi non hic magnus omnium ſit Deus, cuius omnes ſumus. *Atque hæc quidem Tertullianus. In hanc ſententiam illa ſcripta ſunt à Lactant. lib. 1. cap.* xv. *vbi docet, quo modo quidam homines dij fuerint nominati;* Si nulli, inquit, reges ante Saturnum, vel Vranum fuerunt propter hominum raritatem, qui agreſtem vitam ſine vllo rectore viuebant; non eſt dubiũ, quin illis temporibus homines regem ipſum, totamque gentem ſummis laudibus, ac nouis honoribus iactare cœperint, vt etiam Deos appellarent, ſiue ob miraculum virtutis (hoc vere putabant rudes adhuc & ſimplices) ſiue, vt fieri ſolet, in adulationem præſentis potentiæ; ſiue ob beneficia, quibus erant ad humanitatem compoſiti. Deinde ipſi reges, cum cari fuiſſent ijs, quorum vitam compoſuerant, magnum ſui deſiderium mortui reliquerunt. Itaque homines eorum ſimulacra finxerunt, vt haberent aliquod ex imaginum contemplatione ſolatium; progreſſique longius per amorem meriti, memoriam defunctorum colere cœperunt, vt & gratiam referre benemeritis viderentur, & ſucceſſores eorum allicerent ad bene imperandi cupiditatẽ. Quod Cicero de nat. deor. docet, dicens; Suſcepit autẽ vita hominum, conſuetudoque communis, vt beneficiis excellentes viros in cælum fama ac voluntate tollerẽt. Hinc Hercules, hinc Caſtor, & Pollux, hinc Aeſculapius, hinc Liber. Et alio

loco,atque alio,In pleriſque ciuitatibus intelligi poteſt, acuendæ virtutis gratia,aut quò libentius reip.cauſa periculum adiret optimus quiſq. virorum fortium memoriam honore Deorum immortalium conſecratam.Hac ſcilicet ratione Romani Cæſares ſuos conſecrauerunt, & Mauri reges ſuos. Sic paulatim religiones eſſe cœpere,dum illi primi, qui eos nouerant, eo ritu ſuos liberos, ac nepotes, deinde omnes poſteros imbuerunt. Et hi tamē ſummi reges ob celebritatē nominis in prouincijs omnibus celebrantur. Priuatim vero ſinguli populi, gentis aut vrbis conditores,ſeu viri fortitudine inſignes erant,ſeu feminæ caſtitate mirabiles, ſumma veneratione coluerunt;vt Aegyptij Iſidē, Mauri Iubam, Macedones Cabyrum, Pœni Vranum, Latini Faunum, Sabini Sancum, Romani Quirinum. Eodem vtique modo Athenæ Mineruam, Samos Iunonem, Paphos Venerem, Lemnos Vulcanum, Naxos Liberum, Apollinem Delphi. Sic per populos atque regiones varia ſacra ſuſcepta ſunt, dum grati homines eſſe in ſuos principes cupiunt, & quos alios honores vita carentibus deferant, inuenire non poſſunt. Præterea pietas eorum, qui ſucceſſerant, plurimum contulit ad errorem; qui,vt diuina ſtirpe nati viderentur, diuinos honores parentibus detulerunt, deferriq. iuſſerunt. An ne poteſt aliquis dubitare,quomodo religiones Deorum ſunt inſtitutæ? &c. *Haud his diſſimilia ſcribit Arnobius in lib. aduerſus gen-*

tes

*tes:ex quibus ſanè perſpicuum eſt Chriſti aduentu ora dæmonum occluſa, atque idolorum cultum penitus fuiße ſublatum: quod aperte oſtendunt etiam Cyrillus lib.*VI.*in Iulianum; Niceph.cap.*XVII.*lib.*I.*Euſeb.lib.* V.*cap.* I.IO. *Chryſoſt.lib. contra gentiles de Daphnis oraculo, quod ferre non potuit vicinum ſepulchrum Babylæ martyris, neque eo illic extante, de rebus futuris reſpondere. Lactant. lib.* IV. *cap.* XXVII. *Quanto ſit Dæmonibus crucis ſignum terrori;* Cum dijs, inquit, ſuis immolant, ſi aſſiſtat aliquis ſignatam frontem gerens, ſacra nullo modo litant, nec reſponſa poteſt dare conſultus vates. *Idem pluribus teſtantur recentes hiſtoriæ de nouo orbe conſcriptæ; cum docent eaſdem ſuperſtitiones, Idolorum ſimulacra, templa, oracula promulgatione diuinæ legis corruiſſe; ceteras Dæmonum fallacias, præſtigias, & veterum errorũ tenebras Euangelij ac veritatis luce diſcuſſas. D. quoque Athanaſius Orat. contra Idola, poſt crucis triumphum refrixiſſe Idololatriam, dæmonum technas atque artes euanuiße dicit. Et lib. de humanit. verbi, ſigno crucis magica omnia reprimi, veneficia frangi, Idola vniuerſa contemni ac deſeri. Conſtantinus Magnus Chriſti ſacris initiatus, legem tulit, quæ Idololatriam funditus tolleret, ſtatuas euerteret, diuinationem, atq. execranda ſacrificia aboleret. Auctor. Euſeb. lib.*II. *de vita Conſtantini Imp. Rufin. Eccle. Hiſt. lib.*II. *cap.* XIX. *Sozom. lib.*II. *cap.* V. Ex ſtatuis, inquit, quæ precioſam habebant materiam, & in reliquis quicquid alicuius videbatur eſſe momenti, igne

diſcri-

diſcriminabatur, & ſi qua erat pecunia, reipub. deputabatur. Ea uero, quæ ex ære artificioſe fabricata erant, vndiq. Conſtatinopolim, ciuitatem Imperatori cognominem, ornatus gratia deferebantur, quæ etiam nunc publice in vicis & hippodromo, & Baſilijs conſtituta, viſuntur. Ex his quædam Pythiæ diuinatoris Apollinis, & Muſæ Heliconiades, & ex Delphis tripodes, & vulgatus ille Pan, erant; quem Pauſanias Lacedæmonius, & Græcæ ciuitates poſt bellum aduerſus Medos motum, obtulerant. Templorum vero alia ianuis, alia faſtigijs nudabantur, alia aliàs neglecta ruebant, & interibant. Euertebantur etiam tum temporis, ac funditus exterminabantur, primũ, quod in Aegis Ciliciæ Aſclepio ſacrum fuerat, deinde Veneris, quod erat in Aphacis circa Libanum montem, & Adonin fluuium. *Et cap.* VI. Complures aliæ ciuitates vltro templa ſua & ſtatuas demolitæ ſunt, & domos oratorias ædificarunt. *Niceph. lib.* VII. *cap.* XLIX. Vrbem porro recens conditam cum multis alijs decorauit ornamentis, tum præcipue varijs generis ſimulacris & ſtatuis; quas ex Græcorũ tẽplis, ideo ſolo æquatis, vt obliuionẽ erroris illis induceret, huc trãſtulit: Multæ etiã vrbes religione mutata, templiſq. deorũ direptis, ſimulacra, vt Imperatori gratificarentur, Conſtantinopolim perferenda curarunt. *Conſtantini pietatem Theodoſius ſenior imitatus, Idolorum cultum, qui Conſtantini lege interire iam cœperat, prorſus extinxit.*

Auctor Rufinus hiſt. Eccleſiaſt. lib. II. *cap.* XIX. *&* XXIII. *& Aug. lib.* V. *de Ciuit. cap.* XXI. Theodoſius, inquit, ſimulacra gentilium vbique euertenda præcepit, ſatis intelligens nec terrena munera in dæmoniorũ, ſed in Dei veri poſita eſſe poteſtate. *Niceph. lib.* XII. *cap.* XXV. Eodem porro tempore, inquit, maxima etiam Alexandriæ excitata eſt turba, talem ob cauſam. Poſtquam fideliſſimus Imperator Eccleſijs, quantum potuit, pacem præſtitit, aduerſus Græcos errores omne conferens ſtudium, conſtitutiones tulit, quibus ſanxit, vt ſimulacrorum delubra, vbicũque locorum in imperio ſuo inuenirentur, ab ipſis fundamentis euerterentur. Nam maximus ille Conſtantinus, qui ingentem quidem, minorem tamen virtute & gloria ſua conſecutus eſt laudem, & primus vera pietate imperium exornauit, cum omnem (vt ita dicam) terrarum orbem in Idolorum cultu inſanientem inueniſſet, ſacrificare quidem dæmonibus, prorſus prohibuit: aras autem eorum non ſuſtulit, mandato illo promulgato, vt deorum templa clauſa, quo à nemine adiri poſſent, ſeruarentur. Idem filij eius fecere. crudelitatis enim eſſe putarunt, repente prorſus tantã inſtituere mutationem: ſatius eſſe exiſtimantes, quietis conſilijs paulatim homines ad veram pertrahere religionem. Iulianus autem, vt impietas reuiuiſceret, fecit, errorisque & deceptionis flammam plurimum auxit. Poſt hunc Iouinianus acta illius abrogans,

rogans, Idolorum cultum ſuppreſſit. Idem à Valentiniano, qui Europæ Imperium habuit, factum. Huius vero frater Valens, religionẽ quidem omnem, vt ſtatis cærimonijs coleretur, admiſit; in eos autem ſolos, qui fidem irreprehenſibilem profiterentur, aperte hoſtili fuit animo. Quapropter in imperio eius toto libationes, & ſacrificia ſimulacris, ab eis, quibus hoc placitum erat, offerebãtur, ignis in altaribus accendebatur, epulationes publicæ, & numine afflatorum diſcurſationes in foro peragebãtur; & ſacerdotes Bacchi choreas ducebant, & cum ſcutis diſcurrentes canes concerpendo necabant; nihil denique earum rerum reliqui faciebant, quæ primo earum inuentori probrum & fœditatem atteſtantur. Quæ ſane omnia adhuc celebrari ſolita, cũ religioſiſſimus Imperator comperiſſet, radicitus ſuſtulit, modiſque omnibus aboleuit. Tum vero Theophili opera iuſſio promulgata eſt, vt Alexandriæ idolorum templa euerterentur, procurationem talem ipſi illi iniungens, *&c. Romæ quoque eiuſdem Imperatoris edicto omnia veteris ſuperſtitionis ſacra abrogata ſunt, & ſacerdotiorum redditus fiſco adtributi. Hæc de idolis, eorumque vanitate ex grauiſſimis auctoribus attuliſſe ſit ſatis.*

Laniat nos, quotidie inuocando Deum ſuum.] *Quantopere torqueantur & cruciantur ſanctorum hominum pietate, ac precatione, Chriſtique nomine & poteſtate hoſtes humani generis, ex his, quæ ſu-*

pra retulimus, veterum ſcriptorum locis ac teſtimonijs conſtat. Hoc ipſi impuri ſpiritus palam profitentur, et quidem aut coacti atque inuiti, vt Dei veri potentia, & piorum virtus, & ipſorum dæmonum imbecillitas cognoſcatur, aut etiam ſua peruerſa voluntate, vt apud impios & Idolorum ſeruos in inuidiam atque odium veros Chriſti cultores adducant. Huius rei exēpla in Sanctorū vitis paſſim reperies.

Vir meus Getulius (aliàs Zoticus) cum fratre ſuo Amantio Tribuni tui] *figurata locutio, qualis apud Ouidium* IV. *Faſt. Ilia cum Lauſo de Numitore ſati. apud Virgilium* I. *Aen. Cana Fides & Veſta. Remo cum fratre Quirinus Iura dabunt. Vide Seruium. apud Apuleium lib.* III. *de ſuo equo loquentem, Præclarus ille vector meus cum aſino, capita conferunt, in meamq́. perniciem illi conſentiunt. Et lib.* X. *Poſtquam finitum eſt illud Paridis iudicium, Iuno quidem cum Minerua triſtes, & iratis ſimiles à ſcena redeunt, indignationem repulſæ geſtibus profeſſæ. Aliqua exemplaria habent,* cum fratre ſuo Amantio, Tribuno tuo.

Ne idolis conſentirent ad immolandum.] *Rectus ordo verborum erat, Ne conſentirent ad immolandū idolis. mori maluerunt, quàm adduci, vt Idolis ſacrificarent. Fortium videlicet virorum virtus & domeſticum exemplum ſtimulos addidit ſanctiſſimæ feminæ ſua ſponte alioqui ad veram laudem gloriamque currenti.*

Dijs omnipotentibus.] *Epitheton ſtulte ac perperam falſis Dijs attributum; quod vnius & veri*

Dei proprium eſt. pluribus enim conuenire non poteſt, vt ratio manifeſta conuincit.

Ad fanum Herculis.] *De quo ſupra, quantum ſatis eſt, diximus.*

Alapis cædi] *Beda, Vſuardus, & Martyrolog. Rom. habent, palmis cæſa. vſitata & frequens in Martyrologijs phraſis: ſic S. Dorothea palmis, & SS. Agatha & Priſca in B. R. vti etiam* XVI. *Kal. Iunij ſanctus Torpetes, cæſæ ſcribuntur. Hæc tria vocabula quidam ſynonyma putant, cum colaphus græce alapa latine dicatur, ſed non ſemper verum id eſſe, certa & aperta teſtimonia docent. Matth. cap.* XXVI. *Tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt. Alij autem palmas in faciem eius dederunt: Marc.* XIV. *Et cœperunt quidam conſpuere eum, & velare faciem eius, & colaphis eum cædere: & miniſtri alapis eum cædebant. Ioan.* XVIII. *Vnus aſſiſtens miniſtrorum dedit alapam Ieſu. Iuuencus presb. lib.* IV.

Tunc ſanctam Chriſti faciem ſputa improba complent,
Et palmæ in malis, colaphiq́ue in vertice crebri
Inſultant.

Sedulius lib. V.

Sacrilegas mouiſſe manus: non denique paſſim
Vel colaphis pulſare caput, vel cædere palmis,
Aut ſpuere in faciem plebs execranda quieuit.
Jlle tamen patiens ſubiecto corpore totum
Suſtinuit, noſtræq́ue dedit ſua membra ſaluti.
Nãq. per hos colaphos caput eſt ſanabile noſtrũ.

Hæc ſputa per Dominũ noſtram lauere figuram,
His alapis nobis libertas maxima plauſit.
Prudentius in Apotheoſi, contra hæreſem, quæ Patrem paſſum affirmat.
Hanc igitur non flagra ſecant, non ſputa ſaliuis
Aſpergunt, alapis non vexat palma reliſis.
Martialis lib. v. *epigr.* l. xii.
O quàm dignus eras alapis, Mariane, Latini.
Ex his locis apertiſsime patet, vt alapam pro percuſſione, quæ palma, hoc eſt, manu dilatata infligitur, ſic colaphum pro pugno accipi. confirmat Terentij auctoritas, qui Adelph. *Act.* xi. *Scen.* i. *cum dixiſſet,*
Ne mora ſit, quin pugnus continuo in mala hæreat.
non multo poſt addit,
Homini miſero plus quingentos colaphos infregit mihi.
Et Scen. xi.
omnes dentes labefecit mihi:
Præterea colaphis tuber eſt totum caput.
Pugnus & palma quid ſint, Cicero plane declarat libro, qui Orator inſcribitur, Zeno, inquit, cum compreſſerat digitos, pugnumq. fecerat, dialecticam aiebat eiuſmodi: cum diduxerat, & manum dilatauerat, palmæ illius ſimilem eloquentiam eſſe dicebat. & lib. ii. *de Fin. Rhetoricam palmæ dialecticam pugno ſimilem eſſe dicebat, quòd latius loquerentur Rhetores, Dialectici autem compreſſius. Pugnus igitur ſiue colaphus compreſſa manu, alapa dilatata incutitur. Palma à grammaticis definitur planum illud, & ex parte concauum manus, quod in digitos*

deſinens decore patet. Cic. offic. III. *Ibi cum palam eius annuli ad palmam conuerterat, à nullo videbatur; ipſe autem omnia videbat; idem rurſus videbatur, cum in locum annulum inuerterat. Virgil.* VIII. *Aeneid.*

-- rite cauis vndam de flumine palmis
Suſtulit --

Interdum totam manum ſignificat; Virg. I. *Aen.*

-- duplices tendens ad ſidera palmas,

Et lib. II.

-- teneras arcebant vincula palmas.

Hoc itaque pœnæ atque ignominiæ genere, quod ipſe Dominus noſter primus pertulit, feminæ potiſſimum pro Chriſtiana fide afficiebantur. In Græcis Euangelij exemplaribus non hæc nomina, ſed verba ſunt ῥαπίζειν, *alapas impingere, ſiue palmis cædere: &* κολαφίζειν, *colaphos infringere; quo verbo per translationem vſus eſt Paulus, cum* II. *Corinth.* XII. *dixit, Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, angelus Sathanæ, qui me colaphizet, hoc eſt, exerceat, cruciet, vexet, exagitet, angat. palma autem percutere, depalmare Q. Labeo dixit, vt Gellius refert lib.* XX. *cap.* I. *L. Næratius fuit egregiè homo improbus, atque immani vecordia. Is pro delectamento habebat, os hominis liberi manus ſuæ palma verberare. eum ſeruus ſequebatur, crumenam plenam aſſium portitans, & quemcunque depalmauerat, numerari ſtatim ſecundum* XII. *tabulas, quinque & viginti aſſes iubebat.*

Principalis curiæ Tiburtinæ.] *Principales ſunt*

crypta monſtratur, quæ priſcis ſeculis extra vrbem in huius fortaſſe S. matronæ ſuburbano fuiſſe exiſtimatur; poſtea pomœrio prolato, mœnibusque ampliatis, intra ſuperiorem vrbis ambitum incluſa. In ea crypta B. Symphoroſam cum filijs aliquandiu per ea tempora delituiſſe, cum Romanorum principum in Chriſtianos furor et impietas deſæuiret, nullius quidem certi auctoris teſtimonium, ſed tamen conſtans ac vetus apud Tiburtinos opinio & fama confirmant. Ceterum ſanctæ martyris corpus ſepulcro filiorum poſtea illatum fuiſſe neceſſe eſt, vbi eius nomine Eccleſiam conſtat ædificatam, de qua paulo poſt dicetur.

Aliã vero die.] *Quo id modo ſit accipiendum, harum Notarum initio admonuimus.*

Circa Herculis templũ.] *Cur ibi potiſſimum ſancti martyres necati ſint, hanc ſuſpicor cauſam, vel quia is locus celebrior ac frequentior erat, & vrbis quaſi vmbilicus; vel quia impij homines dijs ſuis ſe gratificari putabant, ſi Chriſtianos Herculei nominis ac numinis contemptores, in ipſius Herculis cõſpectu mactarent & immolarent.*

Septem ſtipites figi, & ibi eos ad trochleas extendi.] *Trochlea, ſiue trochalia, aut rechamũ dicas, vt ex Vitruuij lib. x. cap. xi. patet, tractorij generis eſt machina, cum æreo aut ligneo orbiculo, ſiue rotula, quæ per axiculum verſatur, traiecto fune ductario. vtimur hac machina vel ſubleuandis ad altitudinem & operum collocationes oneribus, vel hauriendæ è puteis aqua. Fiunt vero trochleæ, auctore*

*Iſidoro Etymolog.lib.*XIX.*cap.*XI.*ad ſimilitudinem* Θ *litteræ Græcæ octauæ, dicunturque à trochis, id eſt, rotulis. In ſummo autem ſtipite, ſiue palo alligata trochlea ad hominum ſuſpendium & cruciatum genus equulei videtur eſſe.*

Primum Creſcentem præcepit in gutture trāſfigi.] *Sic Beda, & B. R. in quo Creſcentium legimus. In his autem duobus nominibus ſæpe variant auctores.*

Secundum Iulianum in pectore pungi.] *In Bedæ Martyrolog. ſcriptum eſt, Lucianum, vitio nimirum Librarij. B.R. Creſcentio guttur ferro transfigitur, Iuliano pectus confoditur.*

Tertium Nemeſium in corde percuti.] *Beda, In corde transfigi, B. R. Nemeſio cor tranſuerberatur. Id vero ita transfixum hodieque poſt annos* MCCCCLXV. *ſeruatur, & cernitur.*

Quartum Primitiuum in vmbilico vulnerari.] *Beda, Per vmbilicum. B. R. Primitiuo traijcitur vmbilicus.*

Quintum Iuſtinum auerſum per dorſum perforari gladio.] *Beda, Per membra diſtentum ſcindi per ſingulos corporis nodos atque iuncturas: B. R. Iuſtinus membratim ſecatur.*

Sextū Stacteum in latere vulnerari.] *Beda, lanceis innumerabilibus, donec moreretur, in terra configi. B. R. Stacteus telis configitur.*

Septimū vero Eugeniū à ſummo vſq. deorſū findi.] *Beda, findi à pectore vſq. ad inferiores partes B. R. Eugenius à pectore in duas partes diuiditur*

Proijci in foueam altam.] *Locus hic intra ne vrbem Tiburtem, an iuxta, an procul fuerit, ex hac hiſtoria intelligi haud quaquam poteſt; qui autem ex antiquo more naſcentis Eccleſiæ videat in honorem ſanctorum martyrum ibi potiſſimum templa à fidelibus ædificari conſueniſſe, vbi illi aut paſſi, aut ſepulti fuiſſet, nõ dubitabit eum locũ in fundo nunc Maffeiorum, Romæ nobilis in primis familiæ, affirmare, in quo hodie parietinæ cernuntur peruetuſti templi, quod via Tiburtina ſeptimo ab Tibure, nono ab Roma lapide Chriſtiana quondam pietas his ſanctis martyribus & matri exſtruxit. Accedit auctoritas tum Romani Breuiarij, quod hunc ipſum locum deſignat, tum Tiburtinæ ciuitatis, cui eundem agrũ Septem fratrum nominare mos eſt. In hac porro Eccleſia Sanctorum corpora tamdiu requieuiſſe neceſſe eſt, donec à Stephano Pont. Max. Romam, vti celebriori ac tutiori conderentur ſepulchro, quemadmodum mox docebimus, fuere tranſlata. Hunc vero locum in agro Tiburtino fuiſſe non negabit, qui ex antiquis ſcriptoribus nouerit agrum Romanum anguſtis admodum finibus olim circumſcriptum. Qua de cauſa Latini, cum vrbe exire à Conſulibus iuberentur, quinque millia paſſuum ab vrbe abeſſe iubebantur, quod hoc minimum interuallo à Latino Romanus ager ſeiungeretur; etſi ex Liuio Tiburtes antea docuimus agro aliquando à Ro. multatos fuiſſe, id tamen hanc noſtram ſententiam neutiquam labefactat.*

Biothanatos.] *Biothanati græce ij dicuntur,*

qui

qui non naturali morte extinguuntur, ſed vi necati occumbunt; Βία *enim vis eſt,* θάνατος, *mors. hoc verbum Iulius Firmicus in Aſtrologicis libris frequenter vſurpat. Lampridius in Aeliogabalo, Et prædiЄtum eidem erat à Sacerdotibus Syris biothanatũ ſe futurum. Seruius Aeneid.* IV. *Dicunt, inquit, phyſici biothanatorum animas non recipi in originem ſuam. Perſuaſum erat antiquis Ethnicis eas animas ſedibus ac cœtu beatorum excludi. Apud Tertullianum lib. de anima; ſi mendum abeſt, biæothanatos legitur. Caſſianus collat.* XI. *de Diſcretione cap.* V. *Quamobrem, inquit, pro meritis laborum tãtorum, & annorum numeroſitate, qua in eremo perdurauit, ac miſeratione et humanitate ſumma, ab his, qui eius compatiebantur exitio, vix à presbytero & abbate Paphnutio potuit obtineri, vt non (inter biothanatos reputatus) etiam memoria & oblatione pauſantium iudicaretur indignus. Sed hoc loco eum biothanaton Caſſianus appellat, qui mortem ſibi conſciuit;* αὐτοθάνατος *alio nomine à Græcis vocatur. Pro his vero Conciliorum decreta prohibent oblationem offerri. Id etiam Caſſiani verbis ſignificatur, cum religioſi illi Patres Heronem ſenem, qui diabolica fraude deceptus ſeſe præcipitẽ in altiſſimum puteum dederat, atque inde ægre extractus triduo nihilo magis facti pœnitẽs in ſua perſuaſione perierat, ſacræ oblationis auxilio priuandũ cenſebant. Hanc porro vocem vt contumelioſam atque infamem quondam fidei hoſtes Chriſtianis hominibus obiectare ſolebant; vti hodie, qui manu carni-*

ficis

ficis intereunt, eorum nomen ac mortem mala & ſiniſtra fama plerunque ſubſequitur.

Poſt hæc quieuit perſecutio anno vno & mẽſibus ſex.] *Per illud, poſt hæc, ne intelligas ſtatim à nece horum martyrum conquieuiſſe hoſtilem ſæuitiam & furorẽ; ſed longe poſt, nempe anno ſalutis* CXXXV. *imperij vero Hadriani* XVIII. *vt initio in notis ad S. Getulium diximus.*

Sub die XV. Kal. Auguſti.] XVIII. *Iulij, hunc item diem Martyrolog. Rom. & B. R. adſcribunt: Beda vero, Vſuardus, & Ado, quintum Kal. Iul. hoc eſt,* XXVII. *Iunij.*

Romæ in Baſilica B. Archangeli Michaelis.] *Hanc ædem in porticu ſiue Iunonis, ſiue Mercurij poſitam, ex veteribus Diaconiis vnã eſſe vel ex eo conſtare poſſe exiſtimo, quòd in eam hæc ſacra corpora tunc fuerint deportata. Quærendum vero eſt cur eò potiſſimum, & a quo Stephano, & quare translata ſint. Stephanus* I. *ex S. R. E. archidiacono Pont. Max. Impp. Cæſſ. Valeriano & Gallieno Auguſtis ob Chriſtianam confeſſionem occiſus eſt anno humanæ ſalutis* CCLVIII. *quo tempore Idololatria regnante neque hæc, neque alia erat in vrbe Roma Eccleſia; Stephanus* II. *tertio Pontificatus die, nondum conſecratus aut coronatus, repẽtina morte deceſſit, vnde à pleriſque Pontificum numero eximitur, & qui in eius ſuffectus eſt locum, Stephanus* III. *ab omnibus ferè ſcriptoribus ſecũdus vocatur, creatus anno ſalutis* DCCLII. *cum eſſet Diaconus Card. cum fratre ſuo Paulo, qui ei ſucceſſit, à Zacharia an-*

tea factus, ſeditque an. v. *dieb.* XXIX. *Hic pontificijs clarus virtutibus, Aiſtulphi* XXII. *Longobardorum in Italia regis auaritia & tyrannide coactus in Galliam vlteriorē contendit. & Pipinum regem, in Italiam euocauit aduerſus impium ac ſuperbum tyrannum: quē Pipinus Papiæ obſeſſum æquas pacis accipere condiciones coegit, vt nimirum Aiſtulphus Exarchatum Rauennæ, & Pentapolim (hæc complectebatur Ariminum, Piſaurum, Concham, Fanum, Senogalliam, Anconam, Auximum, Humanam, Aeſium, Forum Sempronij, Montem Feretri, Vrbinum, Territorium Balnenſe, Calles, Luceolos, & Eugubium, cum caſtris, & finibus ad hæc oppida pertinētibus, vt ex Ludouici Pij priuilegio apparet, quo hæc donatio confirmatur) Eccleſiæ Rom. ab ipſo adempta, & quæcunque alia occupaſſet, ſe reſtituturum ſacramento iuraret, atque obſides* XL. *in Frāciam adducendos daret. Quæ cum Aiſtulphus feciſſet, Pipinus in Franciā hyeme iam ſæuiente reuertitur, Stephanus Hieronymo Pipini fratre, et Fulrado abbate Pipini iuſſu comitantibus, Romam repetijt. Sequenti anno* DCCLV. *Aiſtulphus ad priſtinum ingenium rediens cum certum alioqui ad reddenda loca ſpatium impetraſſet, nihil promiſſorū exoluit: ſed tumultuario exercitu Rauennæ conſcripto, in agrum Rom. incurſiones facere cœpit, & loca ſuburbana omnia populatus igni ferroque vaſtare, & cœmiterijs ſepulchriſque ſanctorum martyrum violatis, ſacra eorum oſſa fœdè atque impiè diſſipauit; inde ad vrbem oppugnandam trium menſium obſi-*

dione,

dione, acceſſit, Narnia prius, quam paulo ante per Fracorum legatos reddiderat, occupata. hæc Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Stephani ſiue ſecundi, ſiue tertij, quæ in ſuam de regno Italiæ hiſtoriam Sigonius tranſtulit. Ab hoc itaque Stephano horum martyrū corpora, ne à nefario ac perdito rege eruerentur, ex ſuo antiquo ſepulcro ſublata, & in vrbem per id tempus translata fuiſſe quis dubitet? Idem Stephanus cum Diaconus Cardinalis eſſet, huic S. Archangeli Michaelis diaconiæ forſitan præfuit, vt hæc illi cauſa fuerit, cur eam potiſſimum ædem, his ſacroſanctis reliquijs locupletare ac nobilitare voluerit. Poteſt altera cauſa proferri, & verior, ſi marmor in ea æde quondam poſitum fidem facit, in quo legitur inſcriptio, quæ docet temporibus Domini Stephani iunioris Papæ, illam fuiſſe vel dedicatā, vel à Theodoto olim Duce, tūc Primicerio ſedis Apoſt. et ab huius patre Benedicto Diacono à ſolo exſtructā pro remiſſione omnium peccatorum & animæ ſuæ ſalute. Placuit ergo religioſo Pōtifici tēplum ſua aut dedicatū, aut cōditū ætate hoc munere cohoneſtare. Ceterū hæc ſacra oſſa ſub ara maxima eius Eccleſiæ cōdita, Pio IV. Pont. Max. cum illud altare, quod extra hemicyclū, ſeu tribunal, ſiue, vt Eccleſiaſtici ſcriptores loquūtur, abſidē, hactenus fuerat, ad mediū hemicycli parietē transferretur, detecta ſunt, atque in loculum, ſiue arcā feneſtratā, vtroque translucidam, vt populo ad pium cultum & venerationem ſtatis diebus exponerentur, tranſpoſita. Cum vero per eam pietatis ſpeciem, viſendique

que facultatem, multis Pontificis conceſſu aliquid ex Sanctis reliquijs auferendi praberetur occaſio, & in dies illæ minuerentur, iccirco anno ſalutis M.D.LXXXVII. *ad* VI. *Kal. Octob. Marianus Perbenedictus Camers, Epiſc. Marturanenſis, & almæ vrbis Gubernator, qui eius ædis olim Canonicus fuerat, ſub eodem altari primario ſancta oſſa priſco more, nunquam deinceps viſenda, repoſuit, marmoreo ſepulcro, quod ſuis fecit impenſis, incluſa, & hoc epitaphio atque inſcriptione ſignata,*

SS. Martt. Symphoroſæ, eiuſque viro, et. VII. Filijs

Mar. Perbenedictus Epiſcopus Marturan. Almæ Vrb. Gub. Aedis huius olim Canonic. Fecit. 1587.

E*O ex loculo tunc* VIII. *fragmenta ſacrorum oſſiū accepta ſunt, & antea anno* MDLXXIV. *ſexto Kal. Decemb. Pontificatus Gregorij* XIII. *tertiodecimo deſumptæ fuerant eiuſdem Pontificis pia liberalitate hæ paucæ reliquiæ, De capillis ac velo capitis S. Symphoroſæ; crus integrum, & capitis fruſta duo, & fruſtum coſtæ eorundem S. Symphoroſæ, eiuſque viri, & filiorum: quæ reliquiæ ea ſunt condicione conceſſæ, vt Tibur ad nouum templum Societatis Ieſu ornandum deferrentur. Nam Tibure in tanto ſacrarum ædium numero, quantum egregia veterum Tiburtinorum pietas & religio excitauit,*

nulla

nulla B. Symphoroſæ, ſeu filiorum nomine conſtructa viſebatur: quòd ciues videlicet ea contenti forent, quam via Tiburtina, vbi ſancta corpora quieſcebant, ſeptimo ab Tibure milliario poſitam, religioſe colerent ac frequentarent. Sacris inde reliquijs Romam translatis, atque eccleſia temporum perturbationibus collapſa, Tiburtes ſiue dolore animi ob amiſſum tam pretioſum theſaurum, conſternati, ſiue rei vel publicæ vel priuatæ anguſtijs impediti, neque veterem inſtaurare, neque nouam in vrbe, cũ maxime cuperent, condere potuerunt. Sed eorum pijs optatis ac votis diuina bonitas nunc demum reſpondit, cum templum Chriſtiana munificentia Matthæi Contarelli (cuius egregijs virtutibus, & ſingularibus in Societatem Ieſu promeritis nulla par eſſe poteſt oratio) S.R.E. in tit. S. Stephani in Cœlio monte presbyteri Card. ad vſum collegij Societatis Ieſu optimo, & cõmodiſſimo vrbis loco ædificatum sãctæ Symphoroſæ nomine ſibi voluit dedicari. Quocirca eorum venerandæ reliquiæ, quas diximus, lignea effigie inaurata incluſæ ſunt, capilli quidem & velum in cauo capite, oſſa verò in pectore, vitreis pellucentia. In altera item effigie cranium S. Getulij eodem modo continetur (Hæc effigies eam refert imaginem, quam S. Zotici nomine trabeatam cum corona depictam vidi in abſide paruæ ac vetuſtæ ædis S. Andreæ cognomento in Pallara, quæ quidem ædes olim prope viam ſacram & Titi Veſpaſiani fornicē in ea parte ædificata Palatij, cui Palladium fuerat nomen, à palladio, antiquiſſimo Palladis li-

gneo ſimulacro, Troia aduecto, ibique collocato; poſtea Ioannis VIII. *Pōt. max. ornata eſt ſepulchro, & proximis hortis Capranicæ gentis, à Dominico S. R. E. presb. Card. Capranico ſub Xyſto* IV. *ſummo Pontefice paratis & inſtructis. ex Blond. lib.* I. *Inſtauraræ Romæ*, 76. *hic etiam annis abhinc* CCCC. *monaſterium, quod in Rituali Vaticano M. S. Palladij nominatur, fuiſſe opinamur) Sunt & duo integra capita ex* XI. *mill. Virgg. & theca cū reliquijs ſanctorum Gregorij, Aleridi Epiſc. Hildeſemenſis, & Paulinæ ex eodem ſodalitio* XI. *mill. Virgg. Colonia Agrippinenſi allatis. Hæc omnia* XVI. *Kal. Aug. hoc eſt, pridie natalis S. Symphoroſæ ac filiorum, magna cum pompa, & celebri Tiburtis cleri populiq. concurſu Tibur delata ſunt, æſtiui temporis moleſtiā, & rei frumentariæ per id anni tempus in agris curam & ſollicitudinem vicit hominum ſtudium & religio. Haud ita multo antè fama & ſpes ſanctarū reliquiarum, mirificam Tiburtibus expectationem attulerat. Quapropter ingenti animorum lætitia, maximo plauſu, piæ voluptatis ſenſu ſingulari, apparatu denique tanto exceptæ ſunt, quantum tenues ciuium opes, & temporis anguſtiæ patiebantur. Deportatæ ſunt humeris ſacerdotum Societatis Ieſu per vices ſacro oneri ſubeuntium. Obuiā extra portam inferiorem vſque ad B. Deiparæ Virginis ædē, villæ Mecœnatianæ ſubiectam (in ea enim Eccleſia, quam Societas Ieſu* XLV. *iam abhinc annis poſſidet, ſubſtiterunt ſacræ reliquiæ) ſupplex proceſſit cum Epiſcopo clerus, & omnium ordinum ſacræ familiæ,*

milia, laicorumque cum ſuis vexillis collegia & ſodalitates. Tota vrbe parietes, quà pōpa ducebatur, aut periſtromate, aut arborum erant ramis prætexti: fonticuli paſſim per canaliculos deriuati: Arcus ſeu fornices honoris cauſa uarijs locis ad tēpus exſtructi, atq. apto carmine inſcripti, et pictura ornati.

Primus ad Epiſcopium hos ſub imagine Sanctorum, habebat uerſiculos.

Saluete, inclyti martyres
Noſtri, nunc ciues cælici;
Veſtris orationibus
Nos ferte in cæleſtia.

Alter ad primarium templum S. Laurentij, in foro Vlmi,

Bellica victori panduntur ſtemmata Martis.
Quid tibi victrici?, palma triumphus erit.

Tertius ad S. Valerij ædem

Cum martyr Chriſti redeas cum prole, triūphos
Conſtitui ciues hos voluere tibi.

Quartus ad Eccleſiam S. Dominici

Perpetuo Tibur reſpice, Diua, tuum.

Quintus ad forum triuij.

O ſancti heroes; patrias agnoſcite ſedes.
Relliquijs veniat gratia veſtra comes.

Supra ianuam noui templi Societ. *Ieſu.*

Hanc ædem tibi, diuā parens, natiſque dicamus.
Tu modo in hac patriæ vota preceſque iuua.

Ad hos fornices, & ad templi fores Italica decantata ſunt carmina, atque in ipſis ſupplicationibus per viam latini hymni, qui ſequuntur.

VRBS clara priſco ſanguine,
Ipſaque Roma antiquior,
Parens virorum fortium,
Ocellus orbis Itali;
Extolle pulchrum verticem,
Profunde lymphas largiter,
Lætoſque pompa nobili
Effunde cœtus ciuium;
Tuamque ciuem maximam,
Sponſam Getuli martyris,
Septem beatam filijs
Nunc Sympheruſam ſuſcipe.
Hæc poſt pericla plurima,
Longumque & atrum carcerem
Ad Chriſtianæ ducitur
Profeſſionis gloriam.
Moles repente ſaxea
Sacro alligatur vertici,
Chriſtum ipſa tollens laudibus
Amne in profundo mergitur.
Statim relicto corpore
Ad aſtra fertur ſpiritus.
Hic palmæ adeptus præmia
Cæli potitur gaudijs.
Vrbs Roma tota eſt hactenus
Gauiſa ſanctis oſſibus,
Orata ſed nunc Tiburi
Partem remiſit patriæ.
Te, Sympheruſa, & coniunge,
Et prole felix liberum,

Nunc

Nunc obſecramus, vt tuæ
Semper memor ſis patriæ.
Amen.

Pande triumphalem, Tibur prænobile, portam.
Clara triumphato ciuis ad hoſte redit.

RECTOR ſupreme cælitum,
Et dux ſacrorum martyrum,
Huc ad preces Tiburtium
Aures benignus admoue.
Sit fas tuorum munerum
Partem referre paruulam,
Vt mente læta & ſupplici
Grates agamus debitas.
A te datore ſcilicet
Vrbis ſitum pulcherrimum,
Cælum ſalubre agnoſcimus,
Solumque frugum fertile.
Magna hæc: ſed illa maxima,
Ad quæ, relictis ceteris,
Iuſtis repleti gaudijs
Luce hac canenda pergimus.
Lux nanque fulſit annua,
Qua Sympheruſa filijs
Septem decora, vt ſolibus,
Auxit choros cæleſtium.
Hoc nempe præſtat omnibus,
Noſtris fuiſſe è ciuibus,
Quibus, tuo pro nomine

Vitam dediſti vt funderent.
Accedit his ſollemnijs,
Complura quòd poſt ſæcula
Delata matris ſegmina
Romanâ ab vrbe viſimus.
Tu nunc tuorum martyrum
Noſtrum rogatu ciuium
Fac eſſe nos, vt poſcimus,
Partem tuorum ciuium
Auctor piorum munerum,
IESV, tibi ſit gloria
Cum Patre, ſancto & Spiritu
In ſempiterna ſæcula.
Amen.

Alia præterea epigrammata parietibus templi affixa hic adſcribenda exiſtimaui.

De SS. Martyribus Symphoroſa & ſeptem filijs Epigrammata.

I.

IGne perit genitor, mater pia mergitur vndis,
Et iaculo ſoboles, cuſpide, fune cadit.
Conſpirant elementa neci, nanq. inclyta virtus
Cunctorum vires perdomuiſſe poteſt.

II.

Inſolitam aſpiciens ferri per Tiburis vrbem
Pompam Anio, tales fudit ab ore ſonos.
Agnoſco cauſam: vobis hæc munera reddit
Et

Et decore, & noſtris Tibris adauctus aquis.

III.

Obruta fluminibus cur ſaxo colla premuntur,
Corporis & molem mole grauare iuuat?
Artibus hoc faciat nigens inſtructa doloſis:
Ipſa quoque in cælum libera mẽbra volent.
Terra bonis ſed ne tantis viduata maneret,
Tibur habet corpus, ſpiritus aſtra tenet.

IV.

Aegra animo natos oculis & voce petebat
Ingenti ſobolis vlnere fixa parens,
Et ſubito, ò duro, dixit, mihi parta dolore,
Nunc maiore etiam deripienda mihi.
Siccine mors pretio veniet, quo credita vita eſt?
Nec pluris vitæ munere funus erit?
Hæc illa: excepit ſuperis ſic nuncius oris:
Quæ dabitur natis vita, perennis erit.

V.

Inclyta quid ſeptem muro quòd clauſeris arces
Roma, triumphales tollis ad aſtra comas?
Cernis vt ætherios totidem Tiburtia montes
Mœnia circundant liberiore ſinu?
Qui reliquos tantũ ſuperant in vertice, quantũ
Auricomus Titan aſtra minora premit.
Deſine nunc celſos iactare ad ſidera colles
Deſine Roma tuos, Tibure victa ſuis.

VI.

Aeterni cineres, & condita membra ſepulchro,
Quorum animas virtus ſidera ad alta tulit:
Cernitis vt gaudet meritos nũc Tibur honores

Reddere.dum gremio condita templa fouet,
Mœnia tam ſacro arrident celebrata triumpho,
Et patrio exultant reddita membra ſolo.
Lætatur magno tellus percuſſa fragore,
Et recinit lætos vocis imago ſonos.
Sed quid cum ſuperis mortalia munera donis?
Hæc homines præbent, præbuit illa Deus.

VII.

Tibure ſeptenis ſurgebat fetibus arbos,
Digna arbos Latij nobilitate ſoli:
Impia gens rapidas Anienis merſit in vndas;
Sed meliore ſui parte locata polo eſt.
At fetus ſtricto ferijt gens improba ferro,
Queis dedit ad cælum ſanguinis vnda viam.
Gratia cur laticis, cur tanta eſt ſanguinis? olim
Commiſto Chriſtus ſanguine fudit aquas.

VIII.

Vt patria miſerè pulſa eſt pia mater ab vrbe,
Eſt quam natorum caſta ſequuta cohors,
Vrbs duro ingemuit grauiter concuſſa dolore,
Murmure & hos dulci viſa dediſſe ſonos,
Haud ego te patiar, ſuperis gratiſſima proles,
A patrio longo tempore abeſſe ſolo.
Aurea nanque ætas meliori pignora fetu
Cum dabit, o quantis es decoranda bonis?
Fauſta dies iterum, qua vos lætiſſima viſam,
Inſolita dabitis qua mihi luce frui.

IX.

Funere manſuram peperit ſibi femina vitam,
Femina ſub fluuij gurgite merſa neci.

Non

Non ſatis hoc, ſeptẽ comitata eſt mortua natis.
Pleiadum qualis ſole cadente chorus.
Ciuibus æthereos auxiſti femina ciues,
Edideras partu quos generoſa tuo.
Præmia ſi tantos reſpectant vlla labores,
Septima ſunt palmæ præmia danda tibi.

X.

Vrgetur pœnis natorum turba piorum
Innumeris: mater præcipiatur aquis.
Suſpenſi telis alij per inane petuntur:
His caput, his lacerum vulnere pectus hiat.
Morte cadũt varia, mors eſt tamẽ omnibus vna;
Quòd parit hanc vnus relligionis amor.

XI.

Mortalem ſoboli vitam moritura dediſti,
Immortale decus prolis honoſque parens.
Mortua iam cælo frueris melioribus annis,
Da tecum vita nunc meliore frui.
Te per & humana, ſupera veſcemur & aura:
Parta erit hæc precibus, fletibus illa tuis.
Quis veram te dein noſtri neget eſſe parentem,
Cum dederis vitam viua, cadenſque Deum?

XII.

Senſit vt illuſtri ferri ſacra pignora pompa
Per iuga, aquis Anio facta ſuperba ſuis;
Lætus arundineum vitreis caput extulit antris,
Et ſimul hos rauco fudit ab ore ſonos.
En noſtris ditatus aquis quàm digna rependit
Pro tantis Tiberis munera muneribus?
Currite vos liquidę ſtrepitãti murmure lymphæ
Vnum hoc pro cunctis ſat mihi munus erit.

Filij ad matrem. XIII.

I felix, i ſacra parens in prælia ſæua:
Nec tua natorum pectora turbet amor.
Te quoq. mox ſequimur, ſimul hinc, ſimul ibimus vnà,
Membra feris dantes dilaceranda modis.
Qui te cunque manent iſto in diſcrimine caſus,
Et nos, cara, manent, quos habet vnus amor.
Eia age, quid ceſſas? ſeptem redimita coronis
Conſcendas pedibus ſidera celſa tuis.

Mater ad filios. XIV.

Quid trepidant animi, matris certiſſima proles?
Dulce eſt pro ſacra relligione mori.
Mors breuis æternos pariet ſine fine triumphos:
Ecce patet cælum; fer generoſa gradum.
Prima necē ſubeo, princeps per vulnera in aſtra
Tollor; adhuc metues me ſuper aſtra ſequi?
Ecquid erit, quādo comitata in vulnera matrē,
Conſpicuo ſoboles ſcandet honore polum?

Filij ad matrem. XV.

I dilecta Deo genitrix, imitata maritum,
I celer, & fuſo ſanguine in aſtra vola.
Matris ad exemplum proles in funera curret,
Vulnere & excepto matre cadente cadet.
Verè aquila es; natos docuiſti prima volatus:
Te ſequimur paſſi vulnera, tela, necem.

Illo biduo templum frequentiſſimum fuit, & pietas ciuium magna propter noui ædificij pulchritudinem, & ſanctarum religionem cultumque reliquia-

rum

rum, et cauſam Iubilei ſuſcipiendi, quod eam ob rem Xyſtus v. *Pont. Max. libens conceſſerat. Neque vero poſtea alacritas populi ſtudiumque deferbuit, neque pius animorum calor refrixit, ſed potius in dies inualuit, hodieque accreſcit, ſanctis nimirum martyribus ſuorum ciuium, & piorum ad ſuum patrocinium gratiamque cõfugientium mentes ac vota reſpicientibus, ita prorſus, vt nunc demum Tiburtina ciuitas ſanctos alumnos ac patronos videatur agnoſcere: dum illorum opem ac patrocinium experitur; & memoriam ſuorum martyrum tot ſeculis apud ſe pæne intermortuam renouat, & quanta poteſt maxima reuerentia colit. Adſunt, adſunt ſuis cultoribus & clientibus beatiſſimæ illæ animæ, quæ corporis vinculis glorioſè feliciterque ſolutæ ad cælum euolarunt, vbi ſempiterno æuo fruuntur. Teſtis eſt præter ceteros uitæ integritate, prudentia, & morum grauitate inſignis ſacrorum antiſtes, qui pro fratris ſui filio paruulo ægroto, atque in uitæ diſcrimẽ adducto hos ſanctos martyres cum nuper eo in templo ſupplex oraret, uoti compos illico factus, incolumitatem puero impetrauit. Idem templum paucis poſt diebus, hoc eſt,* XIII. *Kalen. Octobr. eiuſdem anni* M D L X X X V I I. *auctum eſt ab integerrimo doctiſſimoque uiro Io. Andrea Crucio, ciue & epiſc. Tiburtino alijs ſacroſanctis reliquijs, partim in æde S. Angeli, quæ eſt in montis eius cacumine, qui altiſſimus ad meridiem vergit, diſtatque ab Tibure* III. *prope mill. partim in Eccleſia S. Sabbæ, epiſcopio proxima,* XVI. *Kal. eiuſdem menſis repertis,*

tis, quas indicat hæc altaris inſcriptio.

Anno Domini MCXXXVIII. Indictione XI. Menſe Decembri, die XXIII. ad honorem Domini N. Ieſu Chriſti, & B. Mariæ ſemper Virginis, & B. Andreæ, & Sabbæ, & ad honorem Sanctorum, quorum reliquiæ hic ſunt, de ligno crucis, de veſtimentis Domini, de veſte M. D. & I. B. Stef. M. D. S. Sabbæ, Cæſarij, Hippolyti, Nicolai. D. L. S. D. Zotici, Felicis. *Altera item inſcriptio in marmore templi S. Angeli alias oſtendit reliquias,*

Anno Domini MCXX. Indictione XIII. menſe Iulio, die III. tranſlatæ ſunt Sãctorum reliquiæ in monaſterium S. Angeli de monte Vallinarcenſi.

S. Primitiui, Zotici, Amantij, & Quirinæ ſub temporibus Domini Io. Andreæ Abbatis.

Anno deniq. MDLXXXVIII. XVI. *kal. Aug. in eadẽ S. Symphoroſæ effigie, cuius ſupra fecimus mentionem, poſita ſunt alia reliquiarum fragmenta, illa, quæ ante deſcripſimus, vna cum vitreo vaſculo, quo ſacri eorundem ſanctorum martyrum pulueres & fragmina cõtinebantur, ex eadem arca S. Angeli in foro piſcario ſumpta.*

Faxit Deus, vt ſua cum gloria, ſuorumque honore Sanctorum in terris & veræ pietatis cultus, & optata ſalus animarum in perpetuum propagetur. Ipſi Deo, Deique Matri, & beatis martyribus, Sanctiſque omnibus ſit honor, & gloria in omnem æternitatem.

FINIS.

INDEX IN NOTAS.

A

Ædis, pro ædes in nominatiuo. 41.
Aeſculapij ædes Romæ. 40.
Albulæ aquæ. 88.
Albunea nympha ſeu Sibylla. 92.
S. Alexander Papa & martyr. 122.
Altus pro profundo. 92.
Amantius Tribunus. 22.
Anienis ortus. 112.
Aqua Marcia. 105. Claudia. 106. Anienis. 107.
Arx, pro colle. 80.
Ateſtinorũ horti Tibure. 95.
Audiens & Auditor, pro cathecumeno. 31.

B

Baptizandis quid faciendum, 24. & ſeq.
S. Bartholomæi templum Romæ. 41.
S. Benedictus Abbas. 109.
Bibliothecæ inſignes Ital. 84.
Biothanatos quid. 171.

C

Catechiſmus quid. 30.
Catechumenus quid. 30. 31.
Cerealis Vicarius. 20.
Chriſtianorum perſecutio ſub Traiano & Hadriano. 9.
Chriſto templum ædificare voluere Hadrianus, & Alexander Impp. 5.
Claudius Venardus Gallus. 120.
Competentes, qui dicãtur. 24.
Conſtantinopolis quando dedicata. 138.
Conſulatis aliquando Præfectus vocatus. 37.
Crucis ſigno magica omnia reprimuntur. 160.
Cynthius Sabellus Card. poſtea Honorius III. 47.

D

Dæmones vnde dicti. 143.
Defenſoris officium Eccleſiaſticum. 127.
Dies variis modis accipitur. 60.
Dij quarundam gentium. 141. 157. 159.

E

Emplaſtratio, genus in ſitiõis 89.
Eretum, hodie Mons rotundus 48.
S. Euphemiæ templum Tibure. 124.
Euſebij Cæſarien. vita. 56.
S. Exuperantius. 50.

F

Fauni ædes Romæ. 41.
Febris fanum Ro. 44.
Fœderis formula. 65.
Fœderatæ ciuitatis ius. 74.
Fridericus 1. Imp. Tibur reſtituit. 113.

Gauis,

G

Gauis, Sabinorum ciuitas. 19. 38.

Gelaſius 1. Pont. Eccleſiam S. Euphemiæ Tibure dedicat. 124.

SS. Generoſus & Quirinus martyres. 121.

S. Getulius, ſiue Zoticus. 12.

Gregorij. Neocæſarien. exemplum. 153.

H

Hadrianus Imp. Chriſtianos perſequitur. 9. Iudæos delet. 14.

Hadriani ortus & obitus. 10. epiſtola. 13. villa 97. 129.

S. Herculani martyrium. 113.

Hieroſolyma ſolo æquata. 14. reſtituta & Aelia nuncupata. 14.

Honorius 1. Pont. templum S. Seuerini Tibure ædificat. 124.

Hortorum Ateſtinorum deſcriptio. 118.

I

Idolum, quid. 138.

Inſula Tiberina Ro. 41. 42.

S. Ioannis Calybitæ templum. 41. Noſocomium. 42.

Iouis Feretrij, Statoris, Capitolini, Cuſtodis, Sponſoris, Victoris, Vltoris, Tonantis templa Romæ. 38. 39.

Italia in xvij. prouincias diſtincta. 36.

Iudæi ſub Hadriano cæſi. 14.

Iudæos primus Pompeius domuit. 35.

Iulius Africanus hiſtoricus. 56.

L

Lacus Regillus, nunc S. Praxedis. 65.

Laici Chriſtianam doctrinam tradunt. 21.

S. Laurentius Tiburtinorum patronus. 121.

Libamen, pro ſacrificio Miſſæ. 32.

Libri Elephantini qui. 84.

M

Magicæ artes inanes. 150.

Marci Ant. Mureti carmen de hortis Tiburtinis Ateſtinorum. 120.

Marianus Perbenedictus Epiſcopus Martuian. 176.

S. Martinæ Eccleſia Romæ. 45. 46.

Martis templa Romæ. 42.

Martyrio affecti ſub Hadriano 12.

Matthæus Contarellus Card. 16.

Minutius Fundanus Aſiæ procoſ. 13.

Miſſa, vnde dicta. 31.

Miſſa, pluribus nominibus appellata. 32.

O

Otho III. Imp. Tibur obſidet. 113.

P

Pænitentiæ neceſſitas. 24. 25.

Palatium Romæ vnde appellatum. 130.

Palatium Neruæ, Conſtantini, Seſſoriani, Licinij, Decij, Antonini Pij, Dioclet. 133.

Palma & colaphus. 165.

Pantheon templum Romæ. 39.

Pentapolis. 174.

Peruſia à Totila obſeſſa. 113.

Phantaſia quid. 54.

Phantaſma quid. 25.

Plinius Secundus iudex aduerſus Chriſtianos. 9.

Proconſul qui. 37.

Reli-

R

Reliquiæ SS. Symphoroſæ & filiorum Romæ repertæ.16.
Reliquiæ aliorum Sanctorum Tibure. 122.123.
Remiſſa,pro remiſsione. 32.
Rituale vetuſtiſsimum Cencij Sabelli. 47.
Roma,vrbs domina,æterna,orbis regina.59. capta à Gothis. 111.ſuo ambitu ſeptẽ montes complexa. 130.
S.Romualdus Abbas. 113.
SS.Romula & Redempta virgines. 122.

S

Sabini agri fines. 18.
Saluatoris imago à D.Luca picta. 121
Serenius Granius Legatus Aſiæ. 13
S.Seuerinus conf.121.eius templum. 124.
Sibyllæ quot. 92.
Sibyllæ Tiburtinæ tẽplum.93
Simplicius Papa Tibure Eccleſiam S, Petri condidit. 124.
S.Symphoroſa, vnde dicta 61. matrona Tiburtina mar.125
S.Symphoroſæ templum. 16. 176.reliquiæ. 16.176.

T

Tiberis,antea Tibris; 89.
Tibur,vrbs à quo condita.62. Herculi ſacra 81. à Gothis capta.110.ab ijſdem inſtaurata.112.ab Othone iij.obſidetur. 113. a Friderico I. ampliatur. 113. multis ſanctis ciuibus celebris. 121.
Tibur altum.87.dulce.86.fertile. 87.gelidum.86.glaciale.86.Herculeum.81.hybernum.86.humidum.81.pomoſum.87. pronum.72.ſuperbum.80.ſupinum.72.vacuũ. 86.vdum.80.vuidum. 81.
Tiburis antiquitas & nobilitas.63,amœnitas. 78.
Tibure cuſtoditur Syphax rex, & Zenobia regina.99.moritur Eugenius iij.Pont. 116.
Tiburtes Herculem colebant. 81.Iunonem. 86.
Tiburtina arx à Pio ij.exſtructa.114.bibliotheca 82.uua oleagina, ficus nigra de præcocibus.89.calx,charta emporetica. vua duracina.90.
Tiburtina amœnitate aut ſecuritate delectati permulti. 90. 91. Catullus.79. 94. Horatius, & Auguſtus.96. Totilas. 109. Fridericus I. Imp. 113. Eugenius. iij. Pontif. 114. Fridericus Ahenobarbus. 117. Honorius.iv.Pont.117.Pius ij. Pont.118. Aceſtini Cardinales. 118.
Tiburt. oleum. 90. Lapis 88. fructus omnis generis. 90. oues.90.hœdus.89.

V

Vicarius quis dicatur. 20.
Villa vnde dicta, 133.eius partes. 134.
Villæ magnificentiſſimæ in Tiburtino,Caſſij. Piſonis, Vari.91.95.Metelli.94.95.Lepidi,Mecœnatis. 94. Vopiſci. 95. Patroni, nunc Cruciornm,Centronij. 97.105.

X

Xyſtus.1.Pont. 29.

Z

Zenobia regina capta a Rom. 99. & in triumphum ducta.
S. Zotici caput,& corpus .16.
SS.Zotici plures.17.

F I N I S.

ERRATA.

Pag.	Lin.	Errata	Correctiones.
14	25	que.	quæ.
15	27	caracteribus.	characteribus.
29	27	munu ſobire.	munus obire.
49	12	inſtitnebant.	inſtituebant.
61	6	in choat.	inchoat.
67	23	Tiburtinſque.	Tiburtiniſq.
70	16	Nomeutanque.	Nomentanique.
	25	Tirbutes.	Tiburtes.
78	20	Abluneæ.	Albuneæ.
79	2	autumnant.	autumant.
	6	ſeu Tiburs.	ſiue verius Tiburs.
	8	expulſi.	expuli.
87	12	valer.	valet.
92	30	catarra.	catara.
93	29	front.	fronte.
102	19	aut.	vt.
103	21	tumultu,	deleatur coma.
	22	Auguſta.	Auguſtam.
107	20	inhcoauit.	inchoauit.
108	27	duſtus.	ductus.
121	11	in compertum.	incompertum.
128	26	tonurare.	tonſurare
129	16	putas.	putat.
133	12	ſpendoris.	ſplendoris.
137	6	Verbone.	verbòne.
142	7	venerabuntur.	venerabantur.
163	28	cruciantur.	Crucientur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

„ Voltaire. Il Sig. Curato di San „ Sulpizio volle parlargli il primo, „ ma il malato nol riconobbe. Io „ cercai di parlargli dopo lui: il „ Sig. di Voltaire mi strinse le ma„ ni, e mi diede segni di confi„ denza, e di amicizia; ma restai „ molto sorpreso, allorche egli mi „ disse: *Sig. Abate Gaultier vi pre„ go di fare i miei complimenti al „ Sig. Abate Gaultier*. Continuò a „ dirmi delle cose sconnesse. Come „ vidi, ch' ei delirava, non gli „ parlai ne di confessione, ne di „ ritrattazione. Pregai bensì i pa„ renti di farmi avvisare, quando „ fosse ritornato in se: eglino mel „ promisero (*a*): ahi! io mi divi-

L „ sava

(*a*) Dopo la partenza del Curato di S. Sulpizio, e dell' Abate Gaultier il Sig. TRONCHIN medico di Voltaire lo trovò in ispaventevoli agitazioni, e in atto di gridar con furo-

„ ſava di rivedere il malato ; quan-
„ do il dì ſeguente inteſi , che tre
„ ore dappoiche l' avevamo laſciato ,
„ cioè a dire a' 30. Maggio 1778.
„ ſulle undici ore della ſera , egli
„ era morto (*a*) . Se io aveſſi cre-
„ du-

furore : *ſono abbandonato da Dio , e dagli Vomini* : videlo anzi ſtender le mani al ſuo vaſo da camera , e preſone ciò che eraci dentro , mangiarſelo . Il Dottore Tronchin , che ha raccontato a perſone ragguardevoli queſto fatto , non ha potuto a meno di dire : *vorrei , che tutti coloro , che da' libri di Voltaire ſono ſtati ſedotti , foſſero ſtati testimonj della ſua morte : non è poſſibile regger ſaldo ad un tale ſpettacolo* . Si può dunque dire , che Voltaire ha egli medeſimo avverata quella profezia di Ezechiello , di cui eraſi tanto burlato : *& quaſi ſubcinericium hordeaceum comedes illud , & ſtercore , quod egreditur de homine , operies illud* . Ezech. IV. 12.

(*a*) Così dal mondo , ch' ei corrompeva , è ſtato tolto queſto preteſo grand' Vomo , che non ſi è occupato , ſe non in ammaſſare orrori in cinquanta libercoli , e ſotto cento forme differenti ; che ha conſumati gli anni ſempre avido di gloria , e inquieto della gloria degli